

©

C O R P U S


I U R I S G E R M A N I C I

A N T I Q U I.

EX OPTIMIS SUBSIDIIS COLLEGIT EDIDIT ET
LECTIONUM VARIETATEM ADIECIT

F E R D. W A L T E R

IUR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. IN ACADEMIA
BORUSSICA-RHENANA.



T O M . I . P A R S I .

LEGEM SALICAM, RIPUARIORUM, ALAMANNORUM,
BAIUARIORUM, BURGUNDIONUM, FRISIONUM,
ANGLIORUM ET WERINORUM, SAXONUM,
ET EDICTUM THEODERICI CONTINENS.

B E R O L I N I
I M P E N S I S G . R E I M E R I .
M D C C C X X I V .

LEX BURGUNDIONUM.

CAPITULA LEGIS BURGUNDIONUM.

1. *De libertate donandi patribus attributa, et muneribus regiis.*
2. *De homicidiis.*
3. *De libertatibus servorum nostrorum.*
4. *De sollicitationibus et furtis.*
5. *De his qui flagello, fuste, calce, vel pugno percutiunt.*
6. *De fugitivis.*
7. *De servis et originariis qui vocantur in crimine.*
8. *De obiectione criminum, quae ingenuis intenduntur.*
9. *De inlatis violentiis.*
10. *De interfectione servorum.*
11. *De inflictis vulneribus.*
12. *De raptu puellarum.*
13. *De exartis.*
14. *De successioneibus et sanctionibus.*
15. *De commotione litium.*
16. *De inquirendis animalibus.*
17. *De causis aliis, et calumniatorum remotione.*
18. *De his quae casu contingerint.*
19. *De ablatis pignoribus et fideiussoribus.*
20. *De fugitivorum furtis.*
21. *De servorum contractibus.*
22. *De removendo in negociis Romanorum patrociniis Barbarorum.*
23. *De damnis, quae ab animalibus inferuntur.*
24. *De mulieribus Burgundiis ad secundas vel tertias nuptias transeuntibus.*
25. *De furtis et violentiis.*
26. *De excussis dentibus.*
27. *De inruptis sepibus, et clausis itineribus, furtis etiam, et violentiis.*
28. *De indulta generaliter incidendorum lignorum licentia.*

29. *De superventoribus et effractoribus.*
 30. *De corruptis mulieribus.*
 31. *De plantandis vineis.*
 32. *De eo qui hominem inlicite et sine causa ligaverit.*
 33. *De iniuriis, quae mulieribus inlatae fuerint.*
 34. *De divortiis.*
 35. *De servorum suppliciis, qui ingenuis mulieribus vim pudoris intulerint.*
 36. *De incesti adulterio.*
 37. *De educto gladio.*
 38. *De hospitalitate legatis extranearum gentium et itinerantibus non neganda.*
 39. *De receptis advenis.*
 40. *De manumissionibus.*
 41. *De messibus incendio concrematis.*
 42. *De hereditatibus eorum, qui sine filiis moriuntur.*
 43. *De donationibus.*
 44. *De adulteriis puellarum et viduarum.*
 45. *De his qui obiecta sibi negaverint, et praebendum obtulerint iusiurandum.*
 46. *De his qui tensuras ad occidendum lupos posuerint.*
 47. *De condemnatione latronum, uxorum quoque suarum et filiorum.*
 48. *De inflictis vulneribus.*
 49. *De animalibus damnum facientibus in clausura missis, seu caballis pervagantibus.*
 50. *De occisis actoribus tam Regiae domus, quam privatorem.*
 51. *De his, qui debitas filii substantiae suae portiones non tradiderint.*
 52. *De mulieribus desponsatis, quae ad aliorum consortium libidine instigante transierint.*
 53. *De hereditatibus filiorum, qui post patris obitum matre superstite intestati moriuntur.*
 54. *De his qui tertiam mancipiorum, et duas terrarum partes contra interdictum publicum praesumpserint.*
 55. *De removendis Barbarorum personis, quotiens inter duos Romanos de agrorum finibus fuerit excorta contentio.*
 56. *De servis in Alamannia comparatis.*
 57. *De libertis Burgundionum qui viam discedendi non habuerint.*
 58. *De cane occiso sine culpa.*
 59. *De nepotibus.*
 60. *De adhibendis donationum testimoniis.*
 61. *De mulieribus, quae sponte ad viri coitum venerint.*
 62. *De filiis unicis.*
 63. *De his qui messem in granariis furati fuerint.*
 64. *De animalibus in messe occisis.*
 65. *De mulieribus viduis, à quibus maritorum debita requiruntur.*
 66. *De puellis quae sine patribus marito traduntur.*
 67. *De sylvis.*
 68. *De adulteriis.*
 69. *De Wittemon.*
 70. *De furtis.*
 71. *De his qui furtum componunt.*
 72. *De his qui pedicam feris fecerint extra culturas.*

73. *De caballis quibus ossa aut scandula ad caudam ligata fuerint.*
 74. *De viduis et filiis earum.*
 75. *De hereditate inter nepotem et amitam dividenda.*
 76. *De Wittiscalcis.*
 77. *De inscriptionibus.*
 78. *De hereditatum successionem.*
 79. *De praescriptione temporum.*
 80. *De testibus falsa referentibus, et calumniatoribus.*
 81. *De interpellationibus apud iudices futuris.*
 82. *De fideiussoribus.*
 83. *De his qui apud alios res suas agnoscunt.*
 84. *De venditione terrarum.*
 85. *De pupillis.*
 86. *De mala hereda.*
 87. *De minorum contractibus.*
 88. *De libertatibus.*
 89. *De reis corripiendis.*

4. *De ingenuis, qui cum seruo furtum faciunt.*
 5. *De his qui mulieribus corruptis crines in curte sua capulaverint.*
 6. *De brachiis aut tibiis, quae ab altero franguntur.*
 7. *De navigiis.*
 8. *De viatoribus.*
 9. *De fideiussoribus.*
 10. *De canibus veltrais, aut segutiis, aut petrunculis.*
 11. *De acceptoribus.*
 12. *De venditionibus, quae sine testibus scribuntur.*
 15. *De mulieribus, quae se voluntate sua ad maritos tradunt.*
 14. *De Wittemon.*
 13. *De Iudaeis, qui in christianum manum praesumpserint mittere.*
 16. *De vineis.*
 17. *De asinis.*
 18. *Si quis boves alicuius pignorerit.*
 19. *De liberali causa, vel de operis libertorum.*
 20. *De animalibus in vineam ingressis.*

CAPITULA ADDITAMENTI PRIMI.

1. *De clausis itineribus, vel aliis.*
 2. *De animalibus damnum inferentibus.*
 3. *De iudiciis.*

ADDITAMENTUM SECUNDUM.

VIR GLORIOSISSIMUS GUNDEBALDUS REX BURGUNDIONUM.

CUM DE PARENTUM, nostrisque constitutionibus, pro quiete et utilitate populi nostri impensius cogitarem, quid potissimum de singulis causis et titulis honestati, disciplinae, rationi et iustitiae conveniret, coram positis optimatibus nostris universa pensavimus: et tam nostra quam eorum sententia, mansuris in aevum legibus sumpsimus statuta perscribi *k)*

IN DEI NOMINE (ANNO SECUNDO REGNI *l)*) DOMINI NOSTRI GLORIOSISSIMI (GUNDEBALDI REGIS *m)*), LIBER CONSTITUTIONUM DE PRAETERITIS ET PRAESENTIBUS ATQUE IN PERPETUUM CONSERVANDIS LEGIBUS, EDITUS SUB DIE IV. *n)* KAL. APRIL. LUGDUNI.

AMORE IUSTITIAE, per quam Deus placatur, et potestas terrena dominationis acquiritur, ea primum habito consilio comitum, procerumque nostrorum studuimus ordinare ut integritas et aequitas iudicandi *o)* a se omnia praemia, vel corruptiones excludat. Omnes itaque administrantes iudicia *p)* secundum leges nostras quae communi tractatu compositae et emendatae sunt, inter Burgundionem et Romanum praesenti tempore iudicare debebunt: ita ut nullus aliquid de causis vel iudiciis praemii vel commodi nomine a qualibet parte speret aut praesumat accipere: (sed iustitiam, cuius pars meretur, obtineat et sola sufficiat integritas iudicantis *q)*). Cuius legis conditionem (nobis quoque credidimus imponendam *r)*) ne ullus in quolibet causarum genere integritatem nostram suffragiis, aut praemiis attentare praesumat; a nobis quoque primum aequitatis studio repellentes, quod a cunctis sub regno nostro

k) Deest iste prologus in Heroldo. *l)* Herold. *agnoscendi fidei.*
m) Un. Cod. *Sigismundi Regis.* *n)* Herold. *die III.* *o)* Al. mss. *iudicando.* *p)* Al. mss. *administrantes ac iudices.* *q)* Herold. *sed iustitiae sola sufficiet integritas iudicandi.* *r)* Herold. *a nobis credidimus imponendam.*

iudicantibus fieri prohibemus. Nec fiscus noster aliquid amplius praesumat, quam quod de sola inlacione *s*) multae legibus legitur constitutum. Sciant itaque optimates, comites, consiliarii, domestici, et maiores domus nostrae, cancellarii, et tam Burgundiones *t*) quam Romani civitatum aut pagorum comites, vel iudices deputati omnes, etiam militantes *u*), nihil se de caussis his, quae actae aut iudicatae fuerint, aliquid accepturos, aut a litigantibus promissionis vel praemii nomine quaesituros: nec partes ad compositionem, ut aliquid vel sic accipiant, a iudice compellantur. Quod si quis memoratorum corruptus contra leges nostras, aut etiam iuste iudicans *v*), de caussa vel iudicio praemium convictus fuerit accepisse, ad exemplum omnium probato crimine capite puniatur: ita ut facultatem eius, in quo venalitas vindicatur, filiis aut legitimis heredibus suis, (quae in ipso punita est, culpa non auferat *w*). Notariis sane deputatorum iudicum, pro iudiciorum commodis in caussis ultra decem solidos addictis, singulos tremisses censuimus posse sufficere: intra decem solidos minora commoda quaesituris. Inter Romanos vero interdicto simili conditione venalitatatis crimine, sicut a parentibus nostris statutum est, Romanis legibus praecipimus iudicari: qui formam et expositionem legum conscriptam, qualiter iudicent, se noverint accepturos, ut per ignorantiam se nullus excuset. De male vero ante acto tempore indicatis, prioris legis forma servabitur. Hoc etiam inserentes, ut si forte iudex in corruptione accusatus convinci nulla ratione potuerit, accusator simili poenae subiaceat, quam iudicem corruptum praecipimus sustinere. Si quid vero legibus nostris non tenetur insertum, hoc tantum ad nos referre praecipimus iudicantes. Si quis sane iudicum, tam Barbarus quam Romanus, per simplicitatem aut negligentiam (praeventus, forsitan *x*) non ea, quae leges continent, iudicavit, et ea corruptione alienus est, XXX. solidos Romanos se noverit inlaturum, caussa denuo discussis partibus iudicanda. Illud adiicientes, ut si iudices tertio *y*) interpellati non iudicaverint, et caussam habens, interpellationem nostram crediderit expetendam, et iudices suos (ter se interpellasse, et non se auditum fuisse *z*) probaverit, XII. solidorum iudex inlacione multabitur. At si

s) Herold. *de solutione.* *t*) Un. Cod. *Comites quoque et consiliarii, et tam Burgundiones etc.* *u*) Herold. *deputati, omnes etiam et milites.* *v*) Herold. et un. Cod. *iniuste iudicans.* *w*) Herold. *quae in ipso privata est culpa, non auferant.* *x*) Desunt in al. mss. *y*) Herold. *iudices simul tertio.* *z*) Herold. *ter se audisse et non iudicasse.*

quisquam de quolibet caussae genere omissis iudicibus, hoc est, tertio, ut supra iussimus, non interpellatis, ad nos venire praesumpserit, (eum illa, quam) in iudicem differentem statuimus, mulcta constringat *a*). Et ne forte per absentiam deputatorum iudicum negotia differantur *b*), nullam caussam absente altero iudice vel Romanus comes vel Burgundio iudicare praesumat, quatenus studeant, ut saepius expetentes se de legum ordine incerti esse non possint. Constitutionis vero nostrae seriem placuit etiam adiecta comitum subscriptione firmari, ut definitio quae ex tractatu nostro et communi omnium voluntate conscripta est, etiam per posteros custodita perpetuae pactionis teneat firmitatem.

NOMINA EORUM, QUI LEGES VEL SEQUENTIA CONSTITUTA,
ET ILLA QUAE IN PRIORI PAGINA CONTINENTUR, SIGNA-
TURI SUNT, VEL IN POSTERUM CUM PROLE DEO
AUSPICE SERVATURI.

Sig. Abgaris com.
Sig. Aunemundi com.
Sig. Unnani com.
Sig. Hildeulfi com.
Sig. Hildegerni com.
Sig. Usgildi com.
Sig. Walesti com.
Sig. Audemundi com.
Sig. Andabari com.
Sig. Amgatheï com.
Sig. Auderici com.
Sig. Aunemundi com.
Sig. Willimeris com.
Sig. Conegiseli com.
Sig. Comarici com.
Sig. Wallaerii com.

Sig. Siggonis com.
Sig. Fredemundi com.
Sig. Wanaharii com.
Sig. Wilfilae com.
Sig. Sigisvuldi com.
Sig. Soniae com.
Sig. Godemundi com.
Sig. Widemeris com.
Sig. Wadahameris com.
Sig. Silvani com.
Sig. Gomae com.
Sig. Fastilae com.
Sig. Suldi com.
Sig. Gundeulfi com.
Sig. Offini com.
Sig. Walarimi com.

INCIPIIT LEX BURGUNDIONUM.

TIT. I. De libertate donandi patribus attributa, et muneribus *c*) regiis.

I. Quia nihil de praestita *d*) patribus donandi licentia vel munificentia, dominantium *e*) legibus fuerat constitutum, praesenti constitutione omnium uno voto et voluntate

a) Herold. *ea quae iudicem deferre statuimus, mulcta constrictus exsolvat.* *b*) Herold. *deserantur.* *c*) Herold. *ex muneribus.* *d*) Herold. *praeterita.* *e*) Herold. *dominandi.* Al. mss. *dominantis.*

decrevimus, ut patri etiam antequam dividat, de communi facultate et de labore suo cuilibet donare liceat, absque terra sortis titulo acquisita, de qua prioris legis ordo servabitur.

II. Aut si cum filiis dividerit, et portionem suam tulerit, et postea de alia uxore filios habuerit aut unum aut plures, illi filii, qui de secunda uxore sunt, in illam, quam pater accepit, portionem succedant: et illi, qui cum patre dividentes portiones suas fuerant consecuti, ab eis penitus nihil requirant.

III. Illud etiam huic legi adiungi placuit, ut si quis de populo nostro à parentibus nostris munificentiae causa aliquid percepisse dignoscitur, id quod ei conlatum est, etiam ex nostra largitate, ut filiis suis relinquat, praesenti constitutione praestamus.

IV. Id etiam statuentes, ut si quid etiam de nostro munere, aut Deo praestante aliter ceperint, donationum nostrarum textus ostendunt. Superest ut posteritas eorum ea devotione et fide deserviat, ut augere sibi et servare circa se parentum nostrorum munera cognoscat.

TIT. II. De homicidiis.

I. Si quis hominem ingenuum ex populo nostro cuiuslibet nationis, aut servum Regis, natione duntaxat barbarum *f*), occidere damnabili ausu aut temeritate praesumpserit; non aliter admissum crimen, quam sanguinis sui effusione componat.

II. Illud sane huic legi rationabili censuimus provisione subiungi *g*), ut si cui forte à quocunque inflata vis fuerit, ut aut ictibus verberum, aut vulneribus urgeatur, et dum insequitur percutientem dolore aut indignatione compulsus occiderit, atque ita factum re ipsa, aut idoneis, quibus credi possit, testibus fuerit comprobatum, medietatem pretii secundum qualitatem personae occisi parentibus cogatur exsolvere: hoc est, si optimatem nobilem occiderit, in medietatem pretii CL. sol. Si aliquem in populo nostro mediocre C., pro minore persona LXXV. solidis praecipimus numerare.

III. Si servus inconscio domino hominem ingenuum occidere fortasse praesumpserit, servus tradatur ad mortem, dominus vero reddatur indemnis.

IV. Si dominus huius facti conscius fuerit, ambo tradantur ad mortem.

V. Si servus ipse post factum defuerit, dominus eius

f) Al. ms. nationis duntaxat barbarorum. *g*) Al. ms. legi adiciendum probatione subiungi.

pro pretio servi XXX. solidos parentibus occisi cogatur exsolvere. Simili de servis Regiis secundum qualitatem personarum circa interfectores conditione servata.

VI. Hoc specialiter in huiusmodi caussa universitas noverit observandum, ut interfecti parentes nullum nisi homicidam persequendum esse cognoscant: quia sicut criminis iubemus extinguere, ita nihil molestiae sustinere patimur innocentem.

TIT. III. De libertatibus servorum nostrorum.

Si quos apud Regiae memoriae auctores nostros, id est, Gibicam, Godomarem *h*), Gislaharium, Gundaharium, patrem quoque nostrum et patruos *i*), liberos fuisse constiterit, in eadem libertate permaneant: quicumque sub eisdem fuerint obnoxii servituti, in nostro dominio perseverent.

TIT. IV. De sollicitationibus et furtis.

I. Quicumque mancipium alienum sollicitaverit, caballum quoque, equam, bovem, aut vaccam tam Burgundio quam Romano furto auferre praesumpserit, occidatur: et de occisi facultatibus, is qui perdidit superius comprehensa mancipia atque animalia, apud sollicitatorem aut furem, si non potuerit invenire, in simplum recipiat: hoc est, pro mancipio sol. XXV. Si tamen mancipium ipsum, sicut dictum est, non potuerit invenire, pro caballo optimo, X. solidos; pro mediocri, VI. solidos; pro equa, solidos III.; pro bove, solidos II.; pro vacca, sol. I.

II. Si vero servus furtum fecerit, ipse tradatur ad mortem: et dominus servi (ea quae furto ablata sunt de supra scriptis animalibus, eaque inveniri non possunt, secundum formam pretii constituti eum, qui perdidit, simpla solutione reddat indemnem *k*).

III. Quicumque ingenuus, tam Burgundio quam Romano, porcum, ovem, apem, capram, furto abstulerit, in triplum solvat, secundum formam pretii constituti: et mltae nomine sol. XII. id est, pro porco, sol. I.; pro ove, sol. I.; pro ape, sol. I.; pro capra, tremissem. Pretia vero haec in triplum solvantur.

IV. Si servus Burgundionis sive Romani furtum de supradictis pecoribus admiserit, servus tradatur ad poenam, ut trecentos fustium ictus accipiat. Dominus autem pro

h) Herold. *Gundamarem.* *i*) Al. mss. *patruum.* *k*) Herold. *Si ipsa animalia, vel mancipium non inveniuntur, sicut superius, in simpla restituat indemnem.*

eius crimine simplum solvat: et mulcta à domino non requiratur.

V. Qui tintinum caballi furto abstulerit, si ingenuus est, caballum alium talem reddat: simili de bove conditione servata. Si servus tulerit, fustigetur.

VI. Si autem impedito caballo ingenuus pedicam tulerit, eiusdem meriti caballum se redditurum esse cognoscat. Si servus hoc admiserit, centenos pro singulis quibuscunque culpis fustium ictus accipiat.

VII. Si caballum alienum ingenuus non permittente domino transcendere praesumpserit, II. solidos illi cuius caballus est, pro unius diei itinere se daturum esse cognoscat: si vero amplius ad legem illam teneatur, quam de caballis inventitiis iussimus observari. Si servus hoc fecerit, fustigetur.

VIII. Qui de alienis bobus *l)* domino inconscio, aut non permittente, operam facere praesumpserit, (duos boves domino cogatur exsolvere *m*).

TIT. V. De his qui flagello, fuste, calce, vel pugno percutiunt.

I. Si quis ingenuum hominem tali praesumptione percusserit, per singulos ictus singulos solidos solvat: et mulctam domino inferat, sol. VI. *n*).

II. Qui libertum alienum percusserit, per singulos ictus singulos semisses solvat: mulctae autem nomine solidos IV. *o*).

III. Qui servum alienum percusserit, per singulos ictus singulos tremisses solvat: mulctae autem nomine solidos III.

IV. Si quis ingenuum hominem per capillos corripuerit, si una manu, II solidos inferat; si utraque, IV.; mulctae autem nomine solidos VI. Si libertum aut servum alienum per capillos, seu una manu seu utraque, corripuerit, quemadmodum de ictibus inter ingenuum, libertum, et servum discretionem *p*) solutionis fieri placuit, ita et in hac causa compositionis et mulctae requiratur inlatio.

V. Si servus ingenuum hominem pugno percusserit, centum fustes *q*) accipiat.

l) Al. mss. *bubus*. *m)* Al. mss. *duorum bovum solutionem cogatur domino exsolvere*. Herold. *duos sol. solvat*. *n)* Al. mss. *mulcta in dominico sol. VI*. Herold. *mulctae nomine sol. sex.* *o)* Al. mss. *sol. III*. *p)* Al. mss. *descriptionem*. *q)* Al. mss. *fustium ictus*.

VI. Si vero dominus servi cum alio se caedit, et servus, dum dominum adiuvare vult, illum percusserit, pro ictu servi dominus I. sol. satisfaciatur r).

TIT. VI. De fugitivis.

I. Si quis fugitivum intra provincias ad nos pertinentes s) corripuerit, pro fugitivo solidum I. accipiat. Et si fugitivus ille caballum secum ducit, pro caballo semissem, pro equa tremissem accipiat: et fugitivum cum omnibus rebus reddat. Si extra sortem, duos solidos (is qui fugitivum corripuerit, pro fugitivo accipiat, et pro caballo sol. I., pro equa semissem t).

II. Qui fugitivum secutus fuerit, et casu repugnantem occiderit, omni calumnia careat; aut si is, qui sequitur, à fugitivo percussus fuerit, ad dominum fugitivi nulla calumnia revertatur.

III. Si fugitivus cuiuscunque, seu Burgundionis seu Romani, captus fuerit, et casu de custodia fugerit, is quem fugit iuret, nec suo nec suorum concludio aut conscientia fuisse dimissum (et praestitis, ut dictum est, sacramentis u) nullam calumniam patiat.

IV. Quicumque ingenuo aut servo fugienti nesciens capillum fecerit, quinque sol. perdat: si sciens capillum fecerit, fugitivi pretium cogatur exsolvere.

V. Qui fugitivum sciens flumen transierit, poenam sollicitatoris excipiat v).

VI. Si vero fugitivus fugerit, (sacramenta praebeat, nec suo, ut supra dictum est, concludio nec suorum fugitivum fuisse dimissum, et de ligamine nec se nec suis consciis evasisse.

VII. Si vero taliter sacramenta non dederit, pro fugitivo XV. solidos solvat. w)

VIII. Quod si constiterit, cum eius voluntate fuisse dimissum, XXX. sol. x) cogatur exsolvere. Si vero ille qui correptus est, res domini aut alterius secum portat, et in domo illius exhibuerit, simplam solutionem restituat.

IX. Si ingenuus fugitivo seu Burgundionis seu Romani conscius panem dederit, fugitivum revocet.

X. Si nesciens panem dederit, aut flumen transierit, vel viam ostenderit, sacramento dato nullam calumniam patiat.

r) Al. mss. *soluturus est.* s) Al. ms. *provincias nostras.* t) Desunt ista in al. mss. u) Herold. *praesentis ut dictum est sacramentis datis.* v) Al. mss. *incurrat.* w) Herold. *sacramenta ut supradictum est praebeat, aut pro fugitivo XV. solvat.* x) Al. ms. *XX. sol.*

XI. Si ingenuus fugientem sciens fugitivo litteras fecerit, manus incisione damnetur: si servus hoc fecerit, acceptis CCC. fustibus et ipse manus incisione damnetur.

TIT. VII. De servis et originariis, qui vocantur in crimine.

Inter Burgundionem et Romanum haec forma servabitur. Si à quocunque crimen obiicitur, quod ad praesens probare non potest, id volumus custodiri, ut sive servus Romani sive Burgundionis sit qui vocatur in culpam *γ*), non compellatur dominus sacramenta praebere, neque pro servo neque pro originario: sed cum crimen obiectum fuerit, seu servi seu coloni, pretium iuxta personae meritum fiat, quod dominus eius, cuius servus est aut colonus, de praesenti *z*) percipiat, aut mancipium eius meriti consequatur. Quod cum ita factum fuerit, ille qui vocatur in crimine, iudici tradatur ad poenam, ut si confessus fuerit se admisisse quod obiicitur, pretium recipiat ille qui dederat, et servus de confesso crimine occidatur. Ita ut de solutione, quod superius statutum est observetur. Si autem servus sive colonus in tormentis confessus non fuerit, is qui eum inscripsit domino suo reddat: et (dominus ipse aut vicarium servum, quem pro poena servi innocentis accepit, aut pretium teneat *a*).

TIT. VIII. De obiectione criminum quae ingenuis intenduntur.

I. Si ingenuus per suspicionem vocatur in culpam, tam barbarus quam Romanus, sacramenta praebeat, et cum uxore et filiis et propinquis sibi duodecim *b*) iuret: si vero uxorem et filios non habuerit, (et patrem aut matrem habuerit *c*), cum patre aut matre numerum impleat designatum. Quod si nec patrem nec matrem habuerit, cum duodecim proximis impleat sacramentum.

II. Quod si ei sacramentum de manu is, cui iurandum est, tollere voluerit, antequam Ecclesiam ingrediatur, illi qui sacramentum audire iussi sunt, (quos à iudicibus ternos semper ad sacramentum audiendum praecipimus delegari) contestentur se nolle sacramenta percipere: et non

γ) Al. mss. in crimine. *z*) Herold. cuius servus aut colonus a petitore in praesente. *a*) Herold. dominus ipsum aut vicarii servum, quod pro poena servi innocentis accepit. *b*) Al. mss. sibi duodecimo. *c*) Desunt ista in al. Codd.

permittatur is, qui iuraturus erat, post hanc vocem sacramenta praestare: (sed sint per nos illi, qui deliquerunt *d*) Dei iudicio committendi. Si autem permissus iuraverit, et post sacramentum potuerit forte convinci, in novigildo se noverit redditurum *e*).

III. Si hi, quibus praesentibus iudex iusserit dare sacramenta, ad locum statuto die venire dissimulaverint, et non ab aliqua fuerint infirmitate aut publica ordinatione detenti, senos solidos mulctae nomine inferant. Quod si infirmitate aut occupatione detenti fuerint, faciant hoc ipsum iudicem scire, aut loco suo tales personas dirigant, quorum fide possint in loco sacramenta praestare.

IV. Si autem pars de his, quae sacramenta datura erat, ad locum non venerit, usque ad horam sextam diei ipsam expectet pars altera. Quod si usque ad sextam non venerit, causam absque dilatione absolvat.

V. Quod si (ille alius non venerit, ille qui sacramenta praebiturus erat *f*), discedat indemnis.

TIT. IX. De inlatis violentiis.

Si quis Burgundio aut Romanus per vim aliquid abstulerit usque ad pullum, in novigildo secundum pretia à nobis constituta, cuicumque abstulerit *g*) iubemus exsolvere.

TIT. X. De interfectione servorum.

I. Burgundio et Romanus una conditione teneantur. Si quis servum natione barbarum occiderit lectum ministerialem sive *h*) expeditionalem, LV. solidi, *i*) inferat: mulctae autem nomine sol. XII.

II. Si alium servum Romanum, sive barbarum, aratorem aut porcarium occiderit, XXX. sol. solvat.

III. Qui aurificem lectum occiderit, CL. sol. solvat.

IV. Qui fabrum argentarium occiderit, C. sol. solvat.

V. Qui fabrum ferrarium occiderit, L. sol. inferat.

VI. Qui carpentarium bonum occiderit, XL. sol. solvat.

TIT. XI. De inflictis vulneribus.

I. Qui homini seu ingenuo seu servo brachium ictu excusserit, (sive oculum amiserit *k*), medium pretium exsolvat: si non perexcusserit, de vulnere iudicetur.

d) Al. ms. sed ad nos illico dirigantur. *e*) Al. ms. redditurum eis. *f*) Herold. ille non venerit, qui sacramentum debet accipere. *g*) Al. eum quod abstulit. *h*) Herold. occiderit, electum, ministralem, sive etc. *i*) Herold. LX. sol. *k*) Desunt in Herold.

II. Si quis cuicumque in faciem vulnus infixerit, in triplum (vulneris pretium iubemus exsolvere, quantum in simplum ea vulnera aestimantur, quae vestibus conteguntur ^l).

TIT. XII. De raptu puellarum.

I. Si puella, quae rapta est, corrupta ^m) redierit ad parentes, sexies puellae pretium raptor exsolvat: mulctae autem nomine sol. XII.

II. Quod si raptor solutionem suprascriptam unde solvere valeat, non habuerit, puellae parentibus adsignetur, ut faciendi de eo quod ipsi maluerint, habeant potestatem.

III. Si vero puella sua sponte expetierit virum, et ad domum illius venerit, et ille se cum illa miscuerit, nuptiale pretium in triplum solvat.

IV. Si autem incorrupta redierit, ad domum suam remota ab omni calumnia revertatur.

V. Romana vero puella, si sine parentum suorum voluntate aut conscientia se Burgundionis coniugio sociaverit, nihil se de parentum facultate noverit habituram.

TIT. XIII. De exartis.

Si quis tam Burgundio quam Romanus in sylva communi exartum fecerit, aliud tantum spatii de sylva hospiti suo consignet, et exartum, quem fecit, remota hospitis communione possideat.

TIT. XIV. De successione et sanctimonialibus.

I. Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.

II. Si forte defunctus nec filium nec filiam reliquerit, ad sorores vel propinquos parentes hereditas redeat.

III. Illud etiam praesenti lege placuit contineri, ut si mulier maritum habens sine filiis de hac luce transierit, maritus defunctae uxoris pretium, quod pro illa datum fuerit, non requirat.

IV. Similiter quod mulier ad maritum veniens erogaverit, defuncto sine filiis marito (mulier aut ⁿ) parentes mulieris non requirant.

V. De his vero puellis, quae se Deo voverint, et in castita-

^l) Herold. solvat vulneris qui veste tegitur.

ⁿ) Desunt in al. ms.

^m) Herold. incorrupta.

te permanserint, si una o) duos fratres habuerit, tertiam iubemus ut portionem de hereditate patris accipiat, hoc est, de ea tantum terra, quam pater eius sortis iure possidens mortis tempore dereliquit. Similiter et si quatuor aut quinque fratres habuerit p), portio ei debita reservetur.

VI. Si autem illa unum tantum habuerit fratrem, non medietatem, sed tertiam partem consequatur, ea scilicet conditione, ut post obitum illius quae foemina et sanctimonialis est, quidquid in usufructuario, de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illa exinde alienandi potestatem habitura q), nisi fortitan quod ex matris [bonis, id est, in recellulis r) vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere s].

VII. Hoc his tantum censuimus esse praestandum, quibus patres suas iam non dederint portiones: quod si à patre t), ubi vivere possint, perceperint, ex hoc ipso quod voluerint faciendi liberam habeant potestatem.

TIT. XV. De commotione litium.

I. Quicumque ingenuus Burgundio in domum cuiuslibet ad rixam ingressus fuerit, VI. solidos inferat illi cuius domus est: et mulctae nomine solidos XII. Quod tamen inter Burgundiones et Romanos aequali conditione volumus custodiri.

II. Si vero servus vi, aut per rixam in domum alienam ingressus fuerit pro solutione iam dicta u) centum fustium ictus accipiat, et nullum exinde damnum servi dominus patiatur.

TIT. XVI. De investigandis animalibus.

I. Quisquis per vestigium quodlibet animal v) secutus fuerit, et ad domum alterius vestigio ducente pervenerit, (si is ad cuius domum venerit, eum prohibuerit domum suam intrare ad res suas requirendas, pro hoc quod res reposcit, is qui eum de domo sua ab inquisitione repulerit, pro w) fure teneatur obnoxius. Ita ut inquisitionem nec mulieri liceat denegare.

o) Deest in Herold. p) Herold. si plures habuerit fratres.
 q) Al. ms. nullam illam — habituram. r) Al. mss. rescellolis.
 s) Herold. bonis est, in ornamentis caeterisque rebus, aut ex suo labore conquisita. t) Al. mss. quas a patre. u) Al. mss. ad vindictam. v) Al. Quicumque vestigium de quolibet animali. w) Herold. si is cuius domus est, intrandi et inquirendi licentiam contradixerit, pro etc.

II. Quod si servus hoc fortassis aut ancilla absentibus dominis suis prohibuerit, ipse qui prohibuit, legibus pro fure teneatur obnoxius *x*).

III. Si vero vegius extiterit, et vegiaturas *y*) acceperit, et is cui indicat invenire non potuerit, furtum (quod se perdere mentiebatur *z*) solvat in simplum.

TIT. XVII. De caussis aliis et calumniatorum remotione.

I. Omnes omnino caussae, quae inter Burgundiones habitae sunt, et non sunt finitae, usque ad pugnam Mauriacensem habeantur abolitae.

II. Si quis sane servum suum aut ancillam cognoverit, recipiat.

III. Pro homine ingenuo prius occiso XX. tantum solidi inferantur, et omnis repetitio conquiescat.

IV. Illud quoque specialiter volumus custodiri, ut quicumque Burgundio de quacunque causa ab eo, qui illi litem intendit, bis admonitus fuerit, ut dato fideiussore ad iudicium veniat, et si nec fideiussorem dare, nec ad iudicium venire voluerit: atque hoc factum duobus aut tribus ingenuis testibus *a*) potuerit adprobari, inferat mulctae nomine sol. VI. et ad iudicium nihilominus venire compellatur.

V. Qua conditione Romanus ingenuus, qui causam cum Barbaro habuerit, aut dominum admoveat aut (actorem. Et si actor *b*) iterato *c*) admonitus ad causam dicendam pro originario sibi commisso non venerit, centum fustes accipiat.

TIT. XVIII. De his quae casu contigerint.

I. Si quodcunque animal quolibet casu, aut morsus canis homini mortem intulerit, iubemus etiam inter Burgundiones antiquam exinde *d*) calumniam removeri: quia quod casus operatur non debet ad damnum aut inquietudinem hominis pertinere. Ita ut si de animalibus subito caballus caballum occiderit, aut bos bovem percusserit, aut canis momorderit, ut debilitetur, (ipsum animal aut canis, per quem damnum videtur admissum, tradatur illi, qui damnum pertulit *e*).

x) Al. mss. addunt: *ita ut inquisitionem ne mulieri liceat denegare.* *y*) Al. ms. *veraturas.* Herold. *vigaturas vias.* *z*) Herold. *quod prodere mentitur.* *a*) Herold. *tribus testibus.* *b*) Al. ms. *auctorem. Et si auctor.* *c*) Al. mss. *ter.* *d*) Herold. *omnem inde.* *e*) Herold. *qualecunque animal alium percusserit, aut debilitat, pro mortuo vel debili tradatur.*

II. Si lancea vero vel quodcunque genus armorum aut proiectum in terra, aut fixum simpliciter fuerit, et casu se ibidem homo aut animal impulerit, illum cuius arma fuerint, nihil iubemus exsolvere, nisi forte sic arma sua in manu teneat, ut homini periculum possit inferre.

TIT. XIX. De ablatis pignoribus et fideiussoribus.

I. Qui ante audientiam cuiuscunque pignora abstulerit, causam perdat, et inferat mulctae nomine sol. XII.

II. Quicumque caballum alienum quasi agnitum pro suo tulerit, et suum esse non potuerit adprobare, caballi alterius eiusdem meriti amissione damnetur.

III. (Si quicumque pro eo, cum quo causam habere se putat, alium pignoraverit cum quo causam nullam habet *f*), et caballos aut boves tulerit aut mancipium rapuerit, inferat pro singulis mancipiis vel animalibus solidos binos.

IV. Si ingenuam personam pignoris loco tulerit, inferat pro ea praesumptione *g*) solidos IV.

V. Si quis pro parente, aut amico, vel pro quocunque, fideiussor extiterit pro quolibet debito, et is (qui sub fideiussore discesserit *h*) ter admonitus coram testibus, vel post commotionem pignoratus, si convictus fuerit pignora sua fideiussori per vim abstulisse, et necesse fuerit fideiussorem suum *i*) constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum (ille, pro quo fideiussum est, impleat *k*) quidquid fideiussorem in hac causa solvisse constiterit *l*).

VI. Medus vero pignorum hic erit, ut tertiam partem fideiussor amplius tollat, quam summa debiti est, et denunciaret coram testibus debitori. Quodsi intra tres menses soluto debito pignora sua non perceperit, postmodum ea requirendi pontificium *m*) non habebit.

VII. Si is, qui fideiussorem dedit, non habuerit unde solvat, ipsum fideiussor *n*) ad se absolvendum tradat, et a fideiussore aliud non requiratur.

VIII. Quod si dissimulaverit implere quod placitum est, et necesse fuerit fideiussorem constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum ab illo, (pro quo fideiussum est *o*), impleatur quidquid fideiussorem in hac causa solvisse constiterit.

f) Herold. Si quis cum alio se causam habere reputat, et nullam secum causam habentem pignoraverit. *g*) Deest in Herold. *h*) Desunt in Herold. Al. ms. quae fid. excesserit. *i*) Deest in Herold. *k*) Al. mss. in triplum ab illo quem fidedixit impleatur. Herold. ab eo cui fidem dixit, impleatur. *l*) Caetera Legis Burgundionum in Codice, quo Heroldus utebatur deerant. *m*) Al. potestatem. *n*) Al. mss. fideiussori. *o*) Al. mss. quem fide dixit.

IX. Quicumque fideiussores debitores dederint, ille cuius fideiussor accessit, usque ad domum ipsius sub sua defensione perducatur: si autem non sic fecerit, non sit a fideiussione penitus absolutus.

X. Quicumque noluerit *p)* satisfacere debitori, et necesse fuerit *q)* fideiussorem suum pignorarare, et voluerit fideiussor illi resistere, fideiussionis suae debitum, quantum ab illo reposcitur, de suo satisfaciat.

XI. Si vero fideiussorem pignoraverit, et is (pro quo ille *r)* fideiussor accesserit, pignora fideiussoris sui aut (sua, si fideiussor deierit, crediderit *s)* praesumenda aut diripienda, in novigildo solvat, quantum abstulisse convincitur: et inferat mulctae nomine solidos XII.

TIT. XX. De fugitivorum furtis.

I. Si servus cuiuscunque per fugam lapsus fuerit, atque in fuga positus equos cuiuslibet, ornamenta, vestes, vel quodque aliud furto abstulerit, et secum detulerit, a domino servi nihil horum penitus requiratur. Ita tamen si eum de fuga potuerit revocare, quidquid abstulisse convincitur, in simplum restituat.

II. Si servus in obsequio domini constitutus furtum fecerit, et furto facto vertatur in fugam, dominus eius praebat sacramenta, neque pro furto, neque pro fuga *t)* servi conscientiam suam obnoxiam teneri: quod cum fecerit, a servi domino nihil quaeratur. Hii vero qui fugitivos corripunt, dominis mandare debent: et praeter illum solidum, qui pro fugitivo intra sortem debetur, pro eo quod mittit personam aut ipse nunciat, in centum millibus pro evectioe *u)* solidum debet accipere.

III. Quod si non mandat et fugerit, et si intra dies XXX. non mandaverit, aut sacramentis sicut supra dictum est se absolvat, aut XV. solidos pro fugitivo solvat.

TIT. XXI. De servorum contractibus.

I. Si quis inconsulto domino, tam Burgundio quam Romanus, originario aut servo solidos commodaverit *v)*, pecuniam perdat.

II. Quicumque vero servum suum aurificem, argentarium, ferrarium, fabrum aerarium, sartorem vel sutorem, in publico attributum artificium exercere permiserit, et id

p) Al. mss. *Quicumque fideiussor noluerit.* *q)* Al. mss. *habuerit.*

r) Al. ms. *pro illo.* *s)* Al. mss. *sua fideiussor dederit, crediderit.*

t) Al. ms. *per furtum neque per fugam.* *u)* Al. *evasioe.* *v)* Al. ms. *commendaverit.*

quod ad facienda opera a quocunque susceperit, fortasse everterit, dominus eius aut pro eodem satisfaciatur, aut servi ipsius si maluerit faciat cessionem.

TIT. XXII. De removendo in negotiis Romanorum patrocínio Barbarorum.

Quicumque Romanus causam suam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, causam perdat: et is qui susceperit, inferat mulctae nomine sol. XII.

TIT. XXIII. De damnis, quae ab animalibus inferuntur.

I. Quicumque animal de messe vel de quolibet damno incluserit, et ante aestimationem damni praesumptione et arbitrio suo is, cuius animal est, de curte per vim tulerit, inferat illi cui vim intulerit, sol. VI. et mulctae nomine sol. VI. damni aestimatione taxata. Si servus hoc fecerit centum fustium ictus accipiat, damni similiter aestimatione taxata.

II. Si quodlibet animal, dum de messe, aut de prato aut de vinea, aut de area annonaria expellitur, impalaverit, nihil ab eo qui expulit requiratur.

III. Quod si animalia, dum de damno ad clausuram minantur, de campo aut de quocunque loco ille cuius sunt tollere praesumpserit, singulos tremisses per singula animalia solvat: et mulctae nomine sol. III.

IV. Si cuiuscunque porci damnum faciunt in vineis, pratis, aut in messibus cultis, et silvis glandiferis, et admonitus porcorum domisus bis fuerit, ut porcos suos custodiat et noluerit, is cui damnum inferunt, occidendi de grege porcorum optimum liberam habeat facultatem, suis usibus vindicandum.

V. Quod si contestatus non fuerit, et porcum occiderit, solidum pro porco solvat, ita ut quod porci everterint, componatur.

TIT. XXIV. De mulieribus Burgundiis ad secundas vel tertias nuptias transeuntibus.

I. Si qua mulier duntaxat Burgundia post mariti mortem ad secundas aut tertias nuptias, ut adsolet fieri, fortasse transierit, et filios habuerit, ex omni coniugio, donationem nuptialem dum advivit usufructu possideat: post

eius mortem ad unumquemque filium, quod pater *w)* eius dederat, revertatur: ita ut mater nec donandi, nec vendendi, nec alienandi de his rebus, quas in donatione nuptiali accepit, habeat potestatem *x)*.

II. Si forte mulier illa filios non habuerit, quidquid ad eam de donatione nuptiali pertinuit, post mortem mulieris medietatem parentes eius, medietatem defuncti mariti donatoris parentes accipiant *y)*.

III. Ceterum si quis filiorum matri per testamentum aliquid, aut donationem contulerit, mater exinde faciendi quod voluerit liberam habeat potestatem.

IV. Aut si intestata defecerit, mulieris parentes hereditatem eius suo dominio vindicabunt.

V. Si quis Burgundio filios habet *z)*, tradita filiis portione, de eo, quod sibi reservavit *a)*, donare aut vendere, cui voluerit, habeat liberam potestatem.

TIT. XXV. De furtis et violentiis.

I. Si quis cuiuslibet hortum violenter ingressus fuerit, inferat pro ipsa praesumptione illi, cuius hortus est, sol. III. et mulctae nomine sol. VI.

II. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

TIT. XXVI. De excussis dentibus.

I. Si quis quolibet casu dentem optimati *b)* Burgundioni vel Romano nobili excusserit, sol. XV. cogatur exsolvere.

II. De mediocribus personis ingenuis, tam Burgundionibus quam Romanis, si dens excussus fuerit, X. solidis componatur.

III. De inferioribus personis V. sol.

IV. Si servus homini ingenuo voluntarius dentem excusserit, manus incisione damnetur. Si sicut superius statutum est, doceatur admissum, prout persona fuerit, pretium pro dentibus solvat.

V. Si quis ingenuus liberto dentem excusserit, inferat ei solidos tres. Si servo alieno dentem excusserit, det ei *c)* cuius servus est, solidos duos.

w) Al. ms. *quicquid pater.* *x)* Al. ms. *habeat liberam potestatem.* *y)* Al. mss. *parentes, hoc est donatores accipiant.* *z)* Al. ms. *habens.* *a)* Al. mss. *reservat.* *b)* Al. ms. *optimatum.*
c) Al. ms. *inferat ei.*

TIT. XXVII. De inruptis sepibus, et clausis itineribus, furtis etiam et violentiis.

I. Si quis sepem alienam nullo impedito obiecto *d)* inferendi tantum damni studio ruperit, si ingenuus aperuerit, illi cuius messis est, per singulos palos, singulos tremisses exsolvat: si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, et sepes, quae aperta fuerat, reparatur.

II. Hoc etiam de prato et de vinea, praecipimus custodiri.

III. Omnes sane volumus hoc evidenter agnoscere. Quicumque viam publicam aut vicinalem clauserit, XII. sol. se mulctae nomine noverit inlaturum: ita ut sepes illa impune à transeuntibus *e)* deponatur, et messis, quantum viae spatium continere potuerat *f)* conteratur.

IV. Si quis sepem alienam aperuerit, et caballos suos aut animalia in messem aut in pratum voluntarius miserit, si ingenuus *g)* hoc fecerit, per singula animalia inferat, pro messis vel prati damno, domino solidos decem singulos *h)*.

V. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, ita tamen ut à domino servi damnum, quod admissum fuerit, componatur.

VI. Si vero cuius caballi sunt, inventus à domino messis, dum tenetur ad debitum, resistere fortasse tentaverit, et caesus fuerit aut plagatus, nullam exinde, cuius messis aut pratum est, calumniam patiatur.

VII. Si quis per diem in vineam alienam furtim aut violenter ingressus fuerit, ut damnum faciat, inferat pro ipsa praesumptione sol. III.

VIII. Si servus hoc fecerit caedatur.

IX. Si quis vineam fructum habentem noctu ingressus fuerit, et à custode vineae intra vineam fuerit interemptus, ab occisi domino aut parentibus non requiratur.

X. Si quis ingenuus vomerem furto abstulerit, duos boves cum iunctura et (adparatu aratri tradere *i)* domino compellatur.

XI. Si servus hoc fecerit, CL. fustium ictus accipiat.

TIT. XXVIII. De indulta generaliter incidendorum lignorum licentia.

I. Si quis Burgundio aut Romanus sylvam non habeat, incidendi ligna ad usus suos de iacentivis et sine fructu arboribus in cuiuslibet sylva habeat liberam potestatem neque ab illo cuius sylva est repellatur.

d) Al. ms. nullo impedito subiecto. Al. nullum impeditum subiectum. *e)* Al. mss. transitoribus. *f)* Al. putatur. *g)* Deest in al. ms. *h)* Al. solidos singulos. *i)* Al. mss. adparatum aratri regle tradere.

II. Si quis vero arborem fructiferam in aliena sylva, non permittente domino, fortasse incidit, per singulas arbores, quas incidit, singulos solidos domino sylvae inferat. Quod etiam de pinis et abietibus praecipimus custodiri. Quod si servus hoc fecerit, fustigetur: et dominus eius nullum damnum aut calumniam patiatur.

III. Si quis vero quemquam de iacentivis et non fructiferis arboribus lignum usibus suis necessarium praesumere fortasse non permiserit, ac si ei pignora tulerit, restitutis in triplum pignoribus, inferat mulctae nomine solidos sex.

TIT. XXIX. De superventoribus et effractoribus.

I. Si quis superventu aut latrocinii scelere negotiatorem aut aliquem occiderit, occidatur: ita ut si ea quae abstulit non potuerint inveniri *k*), in simplum de suis facultatibus reformetur.

II. Quod si superventum inferens, ab his quos latrocinio suo crediderat expetendos fuerit interfectus, nulla interfectoribus ab occisi dominis aut parentibus moveatur ex hac parte causatio.

III. Effractores omnes, qui aut domus aut scrinia *l*) expoliant, iubemus occidi.

TIT. XXX. De corruptis mulieribus.

Quicumque ingenuus ancillae violentiam fecerit, et vis potuerit adprobari, inferat ei, cuius ancilla est, sol. XII. Si servus hoc fecerit, centum quinquaginta *m*) fustium ictus accipiat.

TIT. XXXI. De plantandis vineis.

I. Inter Burgundiones et Romanos id censuimus observandum, ut quicumque in communi campo nullo contradicente vineam fortasse plantaverit, similem campum illi restituat, in cuius campo vineam posuit.

II. Si vero post interdictum quicumque in campo alterius vineam plantare praesumpserit, laborem suum perdat, et vineam cuius est campus accipiat.

TIT. XXXII. De eo qui hominem inlicite et sine causa ligaverit.

Si quis hominem ingenuum innocentem ligaverit, et hoc ingenuus fecerit, inferat ei, quem ligaverit, solidos XII.

k) Al. mss. potuerit invenire. ms. centum,

l) Al. ms. sceunias.

m) Al.

et mulctae nomine sol. XII. Si libertum ligaverit, inferat ei, quem ligavit, sol. VI. et mulctae nomine solidos VI. Si servum ligaverit, inferat ei solidos tres: et mulctae nomine sol. III. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

TIT. XXXIII. De iniuriis, quae mulieribus inlatae fuerint.

I. Si qua mulier ingenua in domo sua a quocunque ingenuo aut in via innocens discapillata fuerit, aut detracta, et testibus hoc potuerit approbari, inferat ei auctor facti sol. XII. (et mulctae nomine sol. XII. n). Si libertae hoc factum fuerit, inferat ei sol. VI. Si ancillae hoc factum fuerit, inferat ei sol. III. et mulctae nomine sol. III.

II. Si à servo haec ingenuae inrogatur iniuria, ducentos: si libertae, centum: si ancillae, septuaginta quinque fustium ictus accipiat.

III. Si vero mulier illa, cuius tali ordine iniuriam iussimus vindicari, liti se sponte miscuerit, pro inlata iniuria nihil quaeratur.

TIT. XXXIV. De divortiis.

I. Si qua mulier maritum suum, cui legitime iuncta est, dimiserit, necetur in luto.

II. Si quis uxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipsius dederat: et mulctae nomine sol. XII.

III. Si quis vir uxorem suam forte o) dimittere voluerit, et ei potuerit vel unum de his tribus criminibus adprobare, id est, adulteram, maleficam, vel sepulchrorum violatricem p), dimittendi eam habeat liberam potestatem: et iudex in eam, sicut debet in criminosam, proferat ex lege sententiam.

IV. Quodsi de his tribus facinoribus nihil admiserit, nulli virorum liceat de crimine uxorem suam dimittere: sed si maluerit, exeat de domo rebus omnibus dimissis, et illa cum filiis suis his quae maritus habuit, potiatur.

TIT. XXXV. De servorum suppliciis, qui ingenuis mulieribus vim pudoris intulerint.

I. Si quis servus vim mulieri ingenuae fecerit, et quæsta fuerit, et evidenter hoc potuerit adprobare, servus pro admissio crimine occidatur.

n) Desunt in al. Codd. o) Al. mss. uxorem suam sine causa forte. p) Al. mss. adulterium, maleficium, vel sepulchrorum violatricem.

II. Si vero ingenua puella voluntarie se servo coniunxerit: utrumque iubemus occidi.

III. Quod si parentes puellae parentem suam punire fortasse noluerint, puella libertate careat, et in servitutem regiam redigatur.

TIT. XXXVI. De incesti adulterio.

I. Si quis cum parente sua, vel uxoris suae sorore, in adulterio fuerit deprehensus, pretium suum ei, qui est proximus mulieri quam adulteravit *q)*, prout persona fuerit cogatur exsolvere: et mulctae nomine sol. XII. Adulteram vero subdi iubemus regiae servituti.

TIT. XXXVII. De educto gladio.

I. Quicumque spatham, aut semispathium *r)* eduxerit ad percutiendum alterum, et non percusserit, inferat mulctae nomine sol. XII. Si percusserit, inferat similiter solidos XII. et de inflicto vulnere iudicetur.

TIT. XXXVIII. De hospitalitate legatis exterarum gentium, et itinerantibus non deneganda.

I. Quicumque hospiti venienti *s)* tectum aut focum negaverit, trium solidorum inlacione mulctetur.

II. Si conviva Regis est, VI. solidos mulctae nomine solvat.

III. De legatis vero extranearum gentium, ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio contulerit, unum porcum aut unum herbicem praesumendi habeant facultatem: et qui fieri prohibuerit, VI. sol. mulctae nomine cogatur exsolvere. Et quod datum fuerit legatis, ei qui dedit ab his qui intra terminum villae ipsius commanent, compensetur.

IV. Hyemis autem tempore si quid legatus foci aut hordei praesumpserit, similiter à consistentibus intra terminum villae ipsius, tam Burgundionibus quam Romanis, sine contradictione aliqua conferatur. Quod tantum *t)* à maioribus personis praecipimus custodiri.

V. Ceterum si talis persona est, quae ex munificentia nostra legatum possit excipere, ipse tantum ex sua expensa legatis una nocte praeparet mansionem. Quod si non fecerit, XII. sol. se mulctae nomine noverit inlaturum.

VI. Si in caussa privata *u)* iter agens ad Burgundionis

q) Al. mss. quae adulteravit. *r)* Al. semispatham. *s)* Al. ms. hospitium venienti. *t)* Al. ms. Quod tamen. *u)* Al. ms. casa proliata. Al. praeliata.

domum venerit, et hospitium petierit, et ille domum Romani ostenderit, et hoc potuerit adprobari, inferat illi cuius domum ostenderit, solidos tres: et mulctae nomine, solidos tres.

VII. Si quis in agro regio vel colonica voluerit adplicare, et non permissus fuerit, colonus fustigetur.

VIII. Si autem hospes ibidem aliquid insolenter everterit, in novigildo restituat.

IX. Si in villa conductor ingenuus est, et tectum aut focum non dederit, inferat mulctae nomine sol. III. Si servus est fustigetur.

X. Quod de Burgundionum et Romanorum omnium colonis et servis praecipimus custodiri.

TIT. XXXIX. De receptis advenis.

I. Quicumque hominem extraneum cuiuslibet nationis ad se venientem suscepit, discutiendum iudici praesentet, ut cuius sit, tormentis adhibitis fateatur.

II. Quod qui intra septem dies non fecerit, et a domino agnitus fuerit, is apud quem servus inventus est, ad triplam solutionem (pretii ipsius *v*) teneatur; exceptis his qui per captivitatem abducti ad dominos *w*) aut ad parentes, et ad solum proprium redierunt.

III. Verum si inconscio domino ignotus veniens ab actore aut colono cuiuscunque receptus fuerit aut celatus, trecentos fustium ictus accipiat: et dominus sacramenta dependat, de latebra fugitivi conscientiam suam non teneri.

IV. De tertio autem mancipio simili conditione, sicut et de captivo, conservata *x*); ita ut eum is ad quem venerit, non occultet, sed continuo ad dominum faciat remeare. Quod nisi fecerit, mancipium quod in dispendium domini retinuerit, cum dupla mercede dominationi restituat.

V. Quod si servus inconscio domino de mancipii ipsius retentione *y*) convincitur ducentos fustium ictus accipiat.

TIT. XL. De manumissionibus.

I. Si quis Burgundio mancipium iuris sui libertate *z*) donaverit, et si eum sub occasione levis offensae in servitium crediderit revocandum, hanc sibi manumissor licentiam praesenti lege noverit denegatam: nec prius ad pristi-

v) Desunt in uno Cod. *w*) Al. mss. *abducti a dominis.* *x*) Al. ms. *servata.* *y*) Al. mss. *retentione.* *z*) Al. *mancipio iuris sui libertatem.*

nam conditionem manumissus poterit revocari *a*), nisi forte talia in damnum et *b*) contumeliam absolutoris sui admisisse in iudicio vincatur, ut merito conlatam debeat perdere libertatem. Huius vero actionis pontificium circa manumissores tantum de libertis suis praecipimus custodiri.

II. Ceterum heres eius, a quo mancipium fuerit absolutum, in qualibet causa libertum patris sui non aliter quam ingenuum, noverit esse pulsandum.

TIT. XLI. De messibus incendio concrematis.

I. Si quis in exarto *c*) suo focum fecerit, et focus nullo compellente vento per terram currens ad sepem vel messem pervenerit alienam, quidquid concrematum ex ea fuerit, ab eo, qui focum fecit, reformetur.

II. Si vero flammam ignis ad sepem vel messem alterius vis venti transtulerit, damnum quod inlatam est ab eo, qui focum fecerit, non quaeratur.

TIT. XLII. De hereditatibus eorum, qui sine filiis moriuntur.

I. Licet de heredibus eorum, qui sine filiis moriuntur, complura prioribus legibus iusserimus, tamen nunc impensis universa tractantes iustum esse prospeximus, ut aliqua ex his, quae ante praecepta fuerant, corrigantur. Idcirco praesenti constitutione decernimus, ut si mulier defuncto sine filiis coniuge suo ad secunda vota non ierit, tertiam totius substantiae mariti usque ad diem mortis suae secunda possideat: sic tamen ut post transitum eius, ad legitimos mariti heredes omnia revertantur.

II. De morgengeba vero, quod priori lege statutum est, permaneat. Nam si a tempore obitus prioris mariti infra annum nubere voluerit, habeat liberam potestatem: et tertiam substantiae partem, quam permissa fuerat possidere, dimittat. Ceterum si emenso anno vel biennio maritum voluerit accipere, omnia sicut dictum est, quae de priore marito habuit, derelinquat, et pretium quod de nuptiis eius inferendum est, accipiat: et parentibus defuncti mariti debetur hereditas.

(Data Ambariaco in Colloquio sub die III. Non. Septemb. Abieno VC. Cons. *d*)

TIT. XLIII. De donationibus.

I. Licet plura de donationibus lex nostra de superiori-

a) Al. ms. *manumissor poterit revocare.*
Al. ms. *exartu.*

d) Desunt in al. Codd.

b) Al. ms. *aut.* *c*)

his temporibus data praeceperit, tamen quia ex ipso eodemque titulo oriuntur aliqua, de quibus non evidenter legitur constitutum, necesse est, ut praesentis legis adiectione, quae prius fuerant praetermissae, definiantur. Ideoque hoc ordine in populo nostro donationes factae et testamenta valebunt, ut quinque aut septem testes donationi aut testamento, prout possunt, aut signa aut subscriptiones adiiciant. Quod si minor testium numerus interfuisse probetur, facta donatio, aut conditum testamentum, nullam habere poterit firmitatem.

III. In aliis vero, haec est in minoribus, tres idoneos testes iubemus admitti.

IV. Ceterum de testamentis et donationibus statuta superius forma servabitur.

TIT. XLIV. De adulteriis puellarum et viduarum.

I. Si qua Burgundionis ingenui filia, priusquam marito tradatur, cuicumque seu Barbaro, seu Romano, occulte adulterii se foeditate coniunxerit, et postmodum ad quaerimoniam facti processerit, et sic obiecta *e)* claruerint, is qui in eius corruptione fuerit accusatus, et ut dictum est, certa probatione convictus, in latis XV. solidis nullam calumniam patiat. Illa vero facinoris sui dehonestata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam.

II. Quod si mulier vidua cuicumque se non invita, sed libidine victa, sponte miscuerit, et in vocem accusantis *g)* eruperit, nec statutum percipiet numerum solidorum, nec sum cui se tali dedecore sociaverit (coniugio ipsius, reclamante eo, iubemus addici *h)*): quia iustum est, ut actum suorum vilitate confusa, nec matrimonio sit digna, nec praemio.

TIT. XLV. De his qui obiecta sibi negaverint, et praebendum obtulerint iusiurandum.

Multos in populo nostro et pervicatione *i)* causantium et cupiditatis instinctu ita cognoscimus depravari, ut de rebus incertis sacramenta plerumque offerre non dubitent, et de cognitis iugiter periurare. Cuius sceleris consuetudinem submoventes praesenti lege decernimus, ut quotiens inter homines nostros causa surrexerit, et is qui pulsatus fuerit, non deberi a se quod requiritur, aut non factum

e) Al. mss. aut si obiecta. *f)* Al. mss. potuerit convinci. *g)* Al. causantis. *h)* Al. mss. coniugem ipsius reclamantem iubemus adiici. *i)* Al. mss. pervagatione.

quod obicitur, sacramentorum obligatione negaverit, hæc ratione litigio eorum finem oportebit imponi: ut si pars eius, cui oblatum fuerit iniurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiducia armis dixerit posse convinci, et pars diversa non cesserit, pugnandi licentia non negetur. Ita ut unus de eisdem testibus, qui ad dauda convenerant sacramenta, Deo iudicante confligat: quoniam iustum est, ut si quis veritatem rei incunctanter scire se dixerit, et obtulerit sacramentum, pugnare non dubitet. Quod si testis partis eius, quae obtulerit sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes qui se promiserant iuratos, tercenos solidos mulctæ nomine, absque ulla induciarum præstatione, cogantur exsolvere. Verum si ille qui renuerit sacramentum, fuerit interemptus, quicquid debebat, de facultatibus eius novigildi solutione pars victoris reddatur indemnis, ut veritate potius quam periuriis delectentur. (Data sub die V. Kal. Iunias Lugduni Abieno VC. Cons. k).

TIT. XLVI. De his qui tensas ad occidentum
lupos posuerint.

Oportet ut ea, quae in populo nostro aut contentionem faciunt, aut hominibus periculum videntur inferre, interdicto legis rationabiliter corrigantur. Et idcirco iubemus, ut quicumque a praesenti tempore occidentorum luporum studio arcus posuerint, statim hoc ipsum vicinis suis eodem die vulgantes cognoscant, ita ut tres lineas ad praenoscenda positi arcus indicia diligenter extendant, ex quibus duae superiores l) sint; quae si aut ab homine per ignorantiam veniente, aut ab animali domestico tactae fuerint, sine periculo sagittas arcus emittat. Quod si hoc modo provisum fuerit, ut tensurae factae circumstantibus innotescant, quicumque ingenuus incaute veniens casum mortis aut debilitatis incurrerit, nullam ex hoc calumniam is, qui arcus posuerit, sustinebit: sed XXV. solidos tantum occisi parentibus curabit inferre. Quod si servus ille fuerit sagittatus, sine aliqua solutione iacebit inultus. Verum si is qui arcus tetenderit, et vicinis non notum fecerit, et lineas non illa, qua iussimus, diligentia et traditione posuerit m), quicumque ingenuus aut servus ibidem fuerit interfectus, integrum pretium eius, prout persona fuerit, occisi parentibus aut domino, secundum constitutionem priorum legum, a iudice compellatur exsolvere.

k) Desunt ista in al. Codd. l) Al ms. *superius.* m) Al. *lineas in illa qua iuss. dilig. et trad. non posuerit,*

**TIT. XLVII. De condemnatione latronum, uxorum
quoque suarum et filiorum.**

I. Licet superioribus legibus fuerit constitutum quemadmodum oportet latronum crimina resecuri; tamen quia sceleratorum atrocitas nec suppliciis hactenus, neque dispendiis ad integrum potuit submoveri, praesenti lege decernimus: ut quicumque ingenuus, tam Barbarus quam Romanus, vel cuiuslibet nationis persona, intra regni nostri provincias constituta, caballos aut boves furto abstulerit, et uxor eius commissum crimen non statim prodiderit, ut occiso marito suo ipsa quoque libertate privetur *n)*, et in servitium eius, cui factum fuerit, sine dilatione tradatur: quia dubitari non potest, et saepe compertum est, eas maritorum suorum criminibus esse participes.

II. Circa filios quoque talium personarum haec servabitur ex lege districtio, ut quicumque ex eis eo tempore, quo furtum admissum fuerit, quartum decimum aetatis annum excesserit, eo quo mater ipsius amissae libertatis praeiudicio condemnetur, eius quoque dominio perpetua obnoxiatione *o)* deserviat, cui furtum factum fuisse constiterit: quoniam in eo annorum numero constitutus commissum scelus absque ulla dubitatione cognoscit.

III. Hi vero sceleratorum filii, qui perpetrati criminis tempore intra decimum aetatis annum inveniuntur, ab hac amittendae libertatis condemnatione habeantur immunes. Quia sicut in tam parva aetate intellectus eorum scientiam commissorum a patre criminum non habebit, ita nec culpari poterunt, nec ingenuitatis praeiudicium sustinebunt: et sortem parentum vel facultatem filii, qui innocentes fuerint, vindicabunt.

IV. De servorum etiam furtis et sceleribus ea distinctionis forma servabitur, quam ante latae *p)* legis forma complectitur.

TIT. XLVIII. De inflictis vulneribus.

I. Si quicumque in re sua violenter resistit, superioribus quidem legibus tenetur insertum, quemadmodum de inflictis ferro vulneribus iudicetur: sed quod in ea constitutione pro emergentibus causis cognoscitur praetermissum, praesenti lege oportuit diffiniri. Si quis igitur fuste aut lapide brachium alterius fregerit, et usum *q)* eiusdem mem-

n) Al. mss. *prohibeatur.*
tiquae. *q)* Al. *ms et os.*

o) Al. mss. *obnoxietate.*

p) Al. *an-*

bri percussus sine certa debilitate perdidit, decimam partem pretii eius secundum qualitatem personae, sicut anterioribus legibus docetur adscriptum *r)*, auctor facti cogatur exsolvere.

II. Similem quoque conditionem, si alter alterius tibiam, ea qua dictum est temeritate percusserit fregeritque, in compositione criminis praecipimus custodiri.

III. Ceterum si aut brachium cuiuscunque aut tibia supradicto ordine fracta, et evidenti fuerint debilitate damnata, ea compositionis forma servabitur, quae ante latis legibus legitur fuisse decreta.

IV. Ceterum si quicumque in rem suam violenter resistens, haec quae dicta sunt, ex necessitate commiserit, is qui inlaesus abscesserit, medietatem statutae solutionis, prout diversitas culpaepoposcerit, imminente iudice cogatur inferre.

TIT. XLIX. De animalibus damnum facientibus in clausura missis, seu caballis pervagantibus.

I. Ad utilitatem et quietem constat omnium pertinere, ut de singulis quibuscunque causis generalis diffinitio proferratur, sicque fiat, ut locorum comites atque praepositi competenter instructi evidentius iudicanda cognoscant. Si quis igitur caballos, aut boves, aut quaecunque animalia vicini aut consortis sui damnum sibi facientia ad domum suam claudenda perduxerit, ac sic ea, priusquam ad dominum ipsorum directus possit nuncius pervenire, incendii casus evertit, medietatem eorum clausor exsolvat, nihilque ab eo amplius postuletur.

II. Verum si animalia in clausura redacta, die et nocte fuerint retenta, et domino eorum actorique rem, is, a quo *s)* tenebuntur, scire non fecerit, et qualibet postmodum occasione perierint, omnia ab ipso, qui ea tacens retinuerit, reformentur. Nam si ille ad quem animalia pertinebunt admonitus fuerit, ut ea sicut ordo postulat taxata prius damni inlacione recipiat, idque facere inconsulta abusione tardaverit, et dum intra clausuram retinentur, casum mortis aut debilitatis incurrerint, nullam exinde calumniam, nullamque solutionis dispendiam is a quo *t)* retenta fuerint, patiat. Quam quidem rem inter consortes et vicinos praecipimus custodiri.

III. Ceterum de iumentis et animalibus longius, ut solet fieri, pervagantibus, quod prius statutum est, uni-

r) Al. *exceptum.* *s)* Al. *mss. dominorum eorum actorum quaerens is a quo etc.* Al. *dominum eorum actoremque reu is, a quo etc.* *t)* Al. *calumniam solutionis aut dispendium is a quo.*

veritatem conveniet observare, id est, ut (caballos alienos per regionem vagantes nemo corripit. Sane si eos in re sua damnum sibi facientes invenerit clauseritque, vicinis suis et consortibus contestetur: et si dominus eorum non venerit, tertio die eos praesentibus testibus extra fines suos expellat. Quod si quisquam aliter fecerit, et convictus fuerit, triplici retributione teneatur *v)* obnoxius.

§ 100 IV. Eam sane *v)* legem, per quam ante actis temporibus inventos captosque caballos contestari, et ad pueros nostros, qui mulctam *w)* per pagos exigunt, in seram adduci, ut eorum studio et diligentia servarentur, iam pridem placuit non admitti: quoniam saepe atque evidenter cognovimus, sub eius legis specie diversorum caballos eversos *x)* potius, quam servatos.

§ 101 **TIT. L. De occisis actoribus tam Regiae Domus, quam Privatorum.**

§ 101 I. Quotiens eiusmodi caussae consurgunt, de quibus praecedentium constitutionum ordo non evidenter observanda decrevit, necesse est ut terminandae causationis modum instructio legibus adiecta contineat: quatenus singulorum locorum iudices ignorantiae cunctatione submota, finem litibus congruenter imponant. Idcirco iubemus, ut si quis tam Burgundio quam Romanus ingenuus *y)*, actorem possessionis nostrae non manifesta necessitate compulsus occiderit, centum quinquaginta solidos cogatur inferre.

§ 101 II. Si alterius fuerit actor occisus, centum solidi in compositione criminis numerentur.

§ 101 III. Verum si a servo cuiusquam ignorante domino actor patrimonii nostri, vel cuiuslibet alterius, occidatur, sicut de reliquis statutum est, servus tradatur ad mortem.

§ 101 IV. Quod si sciente domino crimen homicidii fuerit perpetratum, servus iudici praesentatus intereat: dominus vero integram interfecti pretium solvat: mulctae autem nomine sol. XII. *z)* compellatur inferre.

§ 101 V. Ceterum si quisquam seu nostrum seu privati hominis actorem, caede aut vulneribus vexatum *a)* occiderit, idque evidenter fuerit adprobatum, ea satisfactionis forma servabitur *b)*, quam custodiri anteriorum legum statuta iusserunt.

v) Al. reddatur. *v)* Al. Eam tamen. *w)* Al. mss. et a pueris nostris qui mulcta. *x)* Al. deversos. *y)* Al. Romanus ingenuum. *z)* Al. mss. mulctam nihilominus XII. solid. *a)* Al. caedendo aut vulneribus vexando. *b)* Al. ms. tenebitur.

**TIT. LI. De his, qui debitas filiis substantias suas
portiones non tradiderint.**

I. Quamlibet haec in populo nostro antiquitus fuerint observata c), ut pater cum filiis propriam substantiam aequo iure divideret; tamen emissa iam pridem lege custodiri huiusmodi ordinem iussimus d), et patrum utilitatibus consulentes adiecimus, ut ex eo, quod in portione patris veniebat, faciendi quod voluisset, haberet liberam potestatem. Sed quia in nostra nuper disceptatione praeclearuit, Athilam quendam et antiquae constitutionis seriem praeterisse, et saluberrime legis praeceptionibus resultasse, nec debitam tradidisse filio portionem, et ita facultatem suam per illicitos scripturarum titulos ad alias transtulisse personas, ut nihil exinde ad filium voluerit pertinere: ne quisquam improbum huiusmodi sequeretur exemplum; quod contra legem fecerat, ex lege iussimus non valere, omnemque eius substantiam filio addiximus possidendam. Iudicium quoque nostrum ut praesumptoris inobedientiam resecavit, ita inditam legibus generalis praecepti iustitiam retinebit. Idcirco salvo eo, quod in huiusmodi negotiis promulgata dudum lege praecepimus, quisque patrum filiis competentes substantiae non tradiderit portiones, nihil in contrarium per scripturam in praeiudicium e) faciat filiorum: aut si fecerit, nullius poterit esse momenti.

II. Illud tamen huiusmodi legis vigore placuit definiri, ut filius de portione quam acceperit, faciendi quod voluerit liberum potiatur arbitrium: ita ut si sine sobole moriatur, et patrem eius superesse fatorum decreta permiserint, et de rebus in suo dum adviveret iure compositis neque donationem fecerit, neque condiderit testamentum, pater suus ita successionem, de qua loquimur suis partibus vindicabit, ut nihil exinde abalienandi potestatem habeat; ipsoque in fata collapse ad reliquos filios defuncti fratris f) substantia remanebit.

III. Ornamenta quoque et vestimenta matrimonialia ad filias absque ullo fratris fratrumque consortio pertinebunt.

IV. Quod quidem de his ornamentorum vestimentorumque speciebus circa filias ex lege servabitur, quarum mater intestata decesserit. Nam si quid de propriis ornamentis vestibusque decreverit, nulla in posterum actione cassabitur.

c) Al. ms. conservata. d) Al. emissam iam pridem legem custod. huiusm. ordine iubemus. e) Al. ms. nihil contrarium nihil per scriptorium in praeiudicium. f) Al. mss. patris. g) Al. mss. causabitur.

V. Quod si nec dum nupta puella sorores habens de hac luce transierit, suamque per scripturam, aut coram testibus non vulgaverit voluntatem, portio eius post eius mortem ad sorores suas remota ut dictum est fratrum communione, pertineat.

VI. Verum si defuncta non habuerit puella germanam *h*) et de rebus suis non evidenter observanda decreverit, fratres sui heredes accedant *i*).

TIT. LII. De mulieribus desponsatis quae ad aliorum consortium libidine instigante transierint.

Quotiescunque huiusmodi causae consurgunt, de quibus nihil praecedentium legum statuta disserunt *k*), ita ambiguitatem rei oportet absolvi, ut emissum iudicium perpetuae legis robur accipiat, et specialis causa generalem teneat aequitatem. Auditis igitur atque perpensis criminalis negotii meritis, quod inter Fredegiselum Spatharium nostrum, et Balthamodum, nec non Aunegildem vertebat, sententiam diximus, quae recens facinus resecaret *l*) et futuris temporibus modum distractionis imponeret. Et quoniam Aunegildis post mariti prioris obitum in sua potestate consistens se antedicto Fredegiselo non solum ex parentum consensu, verum etiam proprio arbitrio et voluntate donaverit, et maiorem nuptialis pretii partem sponso adnumerante perceperit, fidemque placiti libidinis ardore succensa dirumpens ad Balthamodi non tam vota concurrat *m*), quam ad consuetum flagitium remeavit: atque ob hoc non aliter tantum crimen tantumque dedecus libertatis, quam sanguinis sui effusione debuerat expiare. Tamen distractioni publicae dierum reverentiam praeponentes iubemus, ut Aunegildis divino humanoque dehonestata iudicio, pretium hoc est CCC. solidos Fredegiselo coacta dissolvat. Nec Balthamodum quidem ab ipsius damnationis merito segregamus, qui mulierem alterius coniugio debitam, praesumpsit accipere: cuius mortem causa poscebat. Sed sententiam nostram ab interitu eius sub hac conditione sanctorum dierum consideratio revocavit, ut nisi cum aliis undecim evidentiis praeberit sacramenta, quibus affirmet sese eo tempore, quo ipsi saepius dicta Aunegildis quasi uxoris iure coniuncta est *n*), ignorasse quod Fredegiselo iam fue-

h) Al. mss. *germanas.* *i*) Al. mss. *frater suus heres accedat.*
k) Al. *iusserunt.* *l*) Al. mss. *praesens facinus praecaverit.* *m*)
 Al. ms. *Balthamodi notam concurrat atque ob hoc.* *n*) Al. *ipse saepius dictae Aunegildi — coniunctus est.*

rat obligata, pretium o) suum, hoc est; CL. solidos Frdegiselo non moretur exsolvere. Quod si iuraverit neque damnum, neque periculum patietur. Iudicium vero in hac causa prolatum ad vicem mansurae in aevum legis praecipimus custodiri. Et ne quemquam deinceps ad exercendum tanti facinoris ausum permissae nunc compositionis temperamenta sollicitent, iubemus ut quoscunque similis facti reatus acquaverit, non tam dispendia sustineant facultatum, quam capitis amissione plectantur. Rectius est enim, ut paucorum condemnatione multitudo corrigatur, quam sub specie incongruae incivilitatis p) intromittatur occasio, quae licentiam tribuat delinquendi. Data sub die IV. Kalendas Aprilis Agapito Consule.

TIT. LIII. De hereditatibus filiorum, qui post patris obitum matre superstite intestati moriuntur.

Licet emissa iam pridem fuerit lege constitutum, ut si defuncto patre intestatus obiisset filius, ac sic mater q) eius, rebus superfusus r) humanis, substantiam filii ita cunctis vitae suae temporibus possederit, post transitum eius universa, de quibus loquimur, propinqui eiusdem pueri ex paterno genere venientes acciperent. Sed postmodum cum optimatibus populi nostri impensius de causa tractantes advertimus, speciem praedictae legis non minus dispendii ac litigii succedentibus s) exhibere, quam commodi, dum inter se diverso ambitionis iure dissentiant: quorum alterum tarditas adeundae hereditatis offendit, alterum proprietas amissa conturbat. Ideoque rectius visum est, ut sub eiusmodi temperamento praefatae conditionis vinculum laxaretur, quo non servare negotium placuit, sed finire t). Quae de re iubemus, sicut iam similis causa nostro est conclusa iudicio, quotiens in hunc casum contraria factorum decreta vertuntur, continuo inter matrem defuncti pueri, si tamen puella defuerit, et propinquos quorum supra fecimus mentionem, relictas facultatis divisio aequo iure et ordine celebretur, ita ut unusquisque de medietate percepta faciendi quod voluerit ex lege habeat potestatem. Consultius nempe utilitatibus partium caussae vestigio terminantur u), quam temporibus suspensae proficiunt.

o) Al mss. *praeiudicium*. p) Al. ms. *civilitatis*. q) Al. ms. *aut si mater*. r) Al. mss. *superfluis*. s) Al. *dispendii litigiis accedentibus*. t) Al. *servari — fini*. u) Al. mss. *utilitatibus patriae caussae vestigium terminatis*.

TIT. LIV. De his, qui tertiam mancipiorum, et duas terrarum partes contra interdictum publicum praesumpserint.

I. Licet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum tertiam v) et duas terrarum partes accepit, eiusmodi a nobis fuerit emissa praeceptio, ut quicumque agrum cum mancipiis, seu parentum nostrorum sive largitate nostra perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata requireret: tamen quia complures comperimus immemores periculi sui, eo quia ea quae praecepta fuerant excessissent, necesse est, ut praesens auctoritas ad instar mansurae legis emissa et praesumptores coercet, et huc usque condemptis remedium debitae securitatis attribuat. Iubemus igitur, ut quidquid hii, qui agris et mancipiis nostra munificentia potiuntur, de hospitem suorum terris contra interdictum publicum praesumpsisse docentur, sine dilatione restituant.

II. De exartibus quoque novam nunc et superfluum faramannorum competitionem et calumniam a possessorum gravamine et inquietudine hac lege praecipimus submoveri, ut sicut de sylvis, ita et de exartibus sive anteacto sive in praesenti tempore factis, habeant cum Burgundionibus rationem: quoniam sicut iam dudum statutum est, medietatem silvarum ad Romanos generaliter praecipimus pertinere w).

III. Similiter de curte et pomariis circa faramannos conditione servata, id est, ut medietatem Romani aestiment praesumendam.

IV. Quod si quisquam constitutum huiusmodi praecipionis excesserit, et non a vobis fuerit cum districtione repulsus, non dubitetis commotionem iracundiae nostrae in vestrum periculum esse vertendam.

TIT. LV. De removendis Barbarorum personis, quotiens inter duos Romanos de agrorum finibus fuerit exorta contentio.

I. Quamlibet certa sub districtione olim fuerit constitutum, ut Barbarus in causa Romani, quam contra alterum Romanum commoverit, quamve exceperit, sese non ausus esset adiungere: tamen pensiores habentes de causarum

v) Al. ms. *mancipium tertium*.
cipimus generaliter pertinere.

w) Al. ms. *specialiter praecipimus generaliter pertinere*.

actione tractatum iubemus, sicut actis iam temporibus praecipimus custodiri, quotiens de agrorum finibus, qui hospitalitatis iure à Barbaris possidentur, inter duos Romanos fuerit mota contentio, hospites eorum non socientur litigio, sed Romanos in iudicio contendentes expectent, ut cuius Barbari hospes evicerit, cum ipso postmodum de re obventa habeat rationem. Quod si quis Barbarorum sese ad litigandum in eiusmodi causationem miscuerit, mox repulsus inferat mulctae nomine, pro eo quod interdicta contempserit, solidos XII.

II. Quod si eum Romanus, hoc est, hospes ipsius adhibere praesumpserit, utrumque XII. solidos iubemus exsolvere, et causam Romanis legibus terminari. Sane si ex eiusdem agri finibus, quem Barbarus ex integro cum mancipiis publica largitione perceperit, fuerit contentio generata x), licebit ei seu pulsatus fuerit, seu ipse pulsaverit, Romano iure contendere.

III. Terminum vero si ingenuus evellere, aut confringere praesumpserit, manus incisione damnetur. Si servus hoc fecerit, occidatur.

IV. Si vero debilitatem y) suam ingenuus redimere voluerit, medietatem pretii sui solvat.

TIT. LVI. De servis in Alamannia comparatis.

I. Si quis servum alienum in Alamannia redemerit, aut pretium a domino recipiat, aut servum habeat quem redemit; quod tamen à praesenti tempore praecipimus custodiri.

II. Ceterum si ingenuus rogans redemptus fuerit, pretium suum emptori reddat.

TIT. LVII. De libertis Burgundionum, qui viam discedendi non habuerint.

Burgundionis libertus, qui domino suo solidos XII. non dederit, ut habeat licentiam, sicut est consuetudinis, quo voluerit discedendi, nec tertiam à Romanis consecutus est, necesse est ut in domini familia censeatur.

TIT. LVIII. De cane occiso sine culpa.

Canem si aliquis nulla extante causa occiderit, solidum det ei cuius canis est.

x) Al. *coepta*. y) Al. ms. *libertatem*.

TIT. LIX. De nepotibus.

Nepos amisso patre cum rebus omnibus ad avi ordinationem vel sollicitudinem conferatur: ea tamen ratione, si mater eius secundas nuptias crediderit eligendas. Ceterum si nubere electa castitate distulerit, filii cum omni facultate in eius solatio et potestate consistent.

TIT. LX. De adhibendis donationum testimoniis.

I. Quotiens in quibuscunque negotiis consuetudo antiqua negligitur, necesse est ut nova lege futuris temporibus consulatur. Et quia aliquos Barbarorum per duos aut tres testes conlatas sibi vel donationis vel hereditatis nomine facultates, adversus morem veterum usurpare velle cognovimus, eorum primitus praesumptionem praesenti lege corrigimus, constituentes, ne tam paucis testibus commissa res valeat. Ceterum si quis posthaec Barbarus vel testari voluerit, vel donare aut Romanam consuetudinem, aut Barbaricam esse servandam sciat, si vult aliquid firmitatis habere quod gesserit, id est, aut scripturis legitimis, quod largiri cuicunque voluerit, teneatur: aut certe quinque ingenuorum testimonio, quod dimittere voluerit vel donare, robur accipiat, et in eius, cui res deputata fuerit, iura commigret.

II. Libertos etiam, si competens ingenuorum numerus defuerit, patimur testimonium perhibere.

III. Nam et inter ingenuos etiam servorum nostrorum oportet testimonium admitti; dummodo compositi testes manu eius, qui dimittere aliquid voluerit vel donare.

IV. Aut si testimonii fides tracta fuisset, secundum consuetudinem z) Barbarorum praebeat iniurandum.

TIT. LXI. De mulieribus, quae sponte ad viri coitum venerint.

Quaecunque mulier natione barbara ad viri coitum spontanea voluntate forte convenerit, nuptiale pretium in simplum tantum eius parentibus dissolvatur: et is, cui adulterii dicitur societate permixta, alterius postmodum coniugio a) si voluerit societur.

TIT. LXII. De filiis unicis.

I. Filius unicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri utendam relinquat; si tamen maritum alterum non acceperit.

z) Al. *constitutionem.* a) Al. mss. *ad alterius postmodum coniugium.*

II. Nam si ad alias nuptias transierit, omnia perdat: dote tamen sua, quam à marito suo acceperat, quamdiu vixerit, utatur, filio proprietate servata.

Data sub die III. Kal. April.

TIT. LXIII. De his, qui messem in granariis furati fuerint.

I. Qui messem in granariis furatus fuerit, si ingenuus est, trigildum solvat: et mulctam secundum qualitatem personae.

II. Si servus, dominus pro eo simplum solvat, et servus CCC. fustium ictus accipiat.

TIT. LXIV. De animalibus in messe occisis.

I. Qui in messe sua animal occiderit, solvatur illi prius damnum, quod animal fecit, et animal qui occiderit, reddat. Hoc est de maioribus animalibus observandum.

II. Ceterum de minoribus illud custodiendum, quod priori lege constitutum est.

TIT. LXV. De mulieribus viduis, a quibus maritorum debita requiruntur.

I. Si qua mulier vidua filios habens, si et illa et filii sui cessionem de bonis mariti, qui defunctus est, fecerint, nullam ex debito ipsius repetitionem aut calumniam patiantur b).

II. Si certe c) praesumpserint hereditatem, debitum paternum simul solvant.

TIT. LXVI. De puellis, quae sine patribus et matribus ad maritum traduntur.

I. Puella quae marito traditur patrem et fratres non habens, nisi patruum et sorores, de Wittemon tertiam partem patruus accipiat, et alteram tertiam sorores sibi noverint vindicandam.

II. Si vero puella sine patre maritum accepit fratres non habens, placuit ut de Wittemon tertiam partem mater accipiat, et alteram tertiam proximiores parentes.

III. Si mater non fuerit, tertiam illam sorores accipiant.

TIT. LXVII. De sylvis.

De sylvis hoc observandum. Quicumque agrum aut colonicas tenent, secundum terrarum modum vel possessionis

b) Al. mss. *patiatur.* c) Al. *Si incerte.*

quae ratam, sic sylvam inter se noverint dividendam: Romano tamen de sylvis medietate ex exartis *d*) servata.

TIT. LXVIII. De adulteriis.

I. Si adulterantes inventi fuerint, et vir ille occidatur et femina.

II. Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit *e*) pretium ipsius solvat, sub ea traditione pretii, quae est prioribus legibus constituta.

TIT. LXIX. De Wittemon.

I. Mulier quae ad secundas nuptias traditur, Wittemon eius a prioribus parentibus mariti vindicetur.

II. Si vero tertium maritum accipere deliberat, Wittemon quod maritus dederit, mulieri proficiat.

TIT. LXX. De furtis.

I. Si ingenuus aut servus simul furtum fecerint, ingenuus triplum solvat quantum furatum est: si tamen capitale crimen non fuerit. Servus vero fustuario supplicio deputetur.

II. De his vero causis unde hominem mori iussimus, si in ecclesiam fugerit, redimat se secundum formam pretii constituti ab eo, cui furtum fecit: et inferat mulctae nomine solidos XII.

II. Si vero minora furta, id est, porcum, herbicem, capram, apem involaverit, solvat mulctae nomine solidos XII *f*).

IV. Si violentiam fecerit, solvat mulctae nomine solidos sex.

TIT. LXXI. De his, qui furtum componunt.

I. Si quis inconsciis iudicibus de furto, quod ipsi factum est, crediderit componendum, poenam quam fur subiturus erat, ipse suscipiat.

II. Si quis sane locum iudicis tenens inter supradictos componere voluerit, inferat mulctae nomine sol. XII.

TIT. LXXII. De his qui pedicam feris fecerint extra culturas.

Si quis pedicam feris fecerit extra culturas, et in deserto posuerit, et in ea homo aut animal fortassis incurrerit, is cuius pedica fuerit nihil penitus calumniae patiat.

d) Al. ms. medietatem exartis. Leg. medietate in exartis. *e*) Al. unum non occiderit. *f*) Al. mss. sol. III; sol. XIV.

TIT. LXXIII. De caballis, quibus ossa aut scandala g) ad caudam ligata fuerint.

I. Si in eo loco inventum in quo damnum faciat, sive extra damnum, et pavore ipso aut periclitatum animal fuerit, aut eversum, aut debilitatum, in potestate sit domini, cuius animal fuerit, utrum ipsum recipere velit an alium. Et si suum recipere noluerit, eius meriti aestimatione habita, duos alios tales caballos h), ei cuius fuerit, dari iubemus ab eo, qui contra interdictum nostrum hoc praesumpserit admittere. Qua poena ingenuos teneri iubemus.

II. Ceterum si servus hoc facere praesumpserit, ducentos fustes accipiat: et in potestate sit illius, cuius caballus est, utrum ipsum recipere velit. Quod si animal displicuerit, praestita i) sicut dictum est de servo ultione, dominus servi caballum eiusdem meriti, cuius ille fuit qui debilitatus dicitur, cogatur exsolvere. Simili de equa conditione servata.

III. De caballo etiam (curtato similis poenae servanda conditio est k).

TIT. LXXIV. De viduis et filiis earum.

I. Anteactis quidem temporibus emissa generaliter lege fuerat constitutum, ut si mulier defuncto sine filiis marito suo ad secundas nuptias non transiisset, tertiam hereditatis eius usque in diem vitae suae propriis utilitatibus vindicaret: sed nunc ex ipso eodemque titulo cum optimatibus populi nostri adtentius universa tractantes generalitatem l) praedictae legis placuit temperare. Quapropter iubemus, ut illa tantum vidua hanc, de qua loquimur, in hereditate mariti accipiat quantitatem, quae patris aut matris non habuerit facultatem, aut si ei maritus suus aliquam in qua vivere possit, successionis suae non donaverit quantitatem.

II. Quaecunque sane mulier, coniuge suo in fata conlapsa, ad secundi mariti vota non ierit, aut eius adulti iam filii secum esse noluerint, hac ratione cum eis defuncti mariti dividat facultatem. Ut si filium habuerit, praedictae substantiae tertiam consequatur: si duo, aut tres, vel quatuor, aut plures erunt filii, quartam accipiat portionem: quam tamen post obitum eius ad filios ipsius placuit remeare.

g) Al. ms. *scandola*. Omnes editiones habent: *scandala*. h) Al. *aestimationem habeat, aut duos tales caballos*. i) Al. *velit, cui displicuerit an alium praestita*. k) Al. ms. *scurtato simili poenae servata conditione*. l) Al. *quantitatem*.

III. Si quis defuncta uxore sua, de qua filios habet, ad secundas nuptias ierit, et ex ea quoque muliere habens filios moriatur, id placuit observari, ut relicta eius non ex privignorum suorum portione quidquam sibi aestimet esse donandum, sed de filiorum suorum proprietate designatam superius accipiat portionem.

TIT. LXXV. De hereditate inter nepotem et amitam dividenda.

I. Oportet eas causas prolatae legis aequitate distingui, quae prioribus non docentur constitutionibus terminatae: ne aut heredes in praesenti negotio ordinem adeundae successionis ignorent, aut iudicibus competens deesse videatur instructio. Id circo si filius patre superstite habens filios in fata discesserit, sororemque *m*) reliquerit, et pater de quo loquimur debitam filio facultatis suae dederit portionem, et ex ea quae ipsi competeat substantiae quantitate de hac luce discedens non aliquid speciale decreverit, inter filium filii et filiam, salva medietate quae minoribus partibus ex paterna successione debetur, altera substantiae eius medietas inter nepotem et filiam aequaliter dividatur.

II. Quod si filius, de cuius potestate tractatur, omnia cum patre indivisa possederit, eodem mortuo medietas nepotis partibus *n*) sequestretur: altera medietas cum filia et nepote aequo ordine dividatur. Et ne forte litigandi ex hoc eodemque titulo non sublata relinquatur occasio, seu una sive duae aut plures erunt filiae, eam quam superius statuimus formam placuit observare, id est, ut medietas filiis, medietas nepoti aut nepotibus ex filio adquiratur.

III. Verum si defuncto ut dictum est, patre filius non puerum heredem reliquerit, sed puellam, et sorores suae superfuerint genitori, ita ius vindicandae successionis obtineat, ut portionis paternae quantitate contenta, altera medietas ad suas amitas, quarum supra fecimus mentionem, ex lege perveniat, neque exinde quidquam sibi aestimet vindicandum.

TIT. LXXVI. De Wittiscalcis.

I. Comitum nostrorum querela processit, quod aliqui in populo nostro eiusmodi praesumptionibus abutantur, ut pueros nostros, qui iudicia exequantur, quibusque mul-

m) Al. si filius patrem superstitem habens cum filio in fata disc., sororem quoque etc. *n*) Al. ms. nepotibus.

tam iubemus exigere, et caede conlidant, et sublata iussu Comitum pignora non dubitent violenter auferre. Qua de re praesenti lege decernimus, ut quicumque posthac pueros nostros occiderit, et insolenter abstulerit, quod ex ordinatione iudicis docebitur fuisse praesumptum, tripla satisfactione teneatur obnoxius, hoc est, ut per singulos ictus, pro quibus singuli solidi ab aliis inferuntur, ternos solidos is qui percusserit, cogatur exsolvere.

II. Ea etiam, quae fuerint violenter erepta, tripla novigildi solutione reddantur: ita ut mulctam nobis praesumptores debitam solvant.

III. Mulieres quoque si wittiscalcos nostros o) contempserint, ad solutionem mulctae similiter tenebuntur.

IV. Nam statutam districtiois formam volumus ita custodiri, ut pueri nostri periculi sui memores providere curabunt, ut non amplius in quibuscunque causis, quam fuerint ordinati, praesumant. Nam ut iniurias eorum iussimus vindicari, ita in se distringendum esse non dubitent, nisi omni diligentia, quae sunt praecepta, servaverint.

TIT. LXXVII. De inscriptionibus.

I. Quotiens servus vocatur in crimine, et necesse est ut iudicio p) sub inscriptione tradatur, haec habendae discussionis forma servabitur, ut servi domino tantum pretium numeretur: et si servus obiectum sibi crimen sub tormentis fuerit confessus, solidi qui inlati fuerant, accusantis partibus reformantur; servus morte debita condemnetur.

II. Verum si in quaestionem q) missus nec convictus fuerit nec confessus, datam in pretium eius pecuniam servi dominus retinebit, et servum recipiet innocentem.

III. Praeterea multorum relatione comperimus, in populo nostro huius consuetudinis ordinem fuisse hactenus custoditum, ut praemium, quod pro indicibus cuiuscunque furti vel sceleris aut promittitur aut infertur, utriusque partis reformaret inlatio. Ideoque rectius visum est, ut consuetudinis huius superfluitate remota, si in eiusmodi causis ingenuus convincitur, solutionis et indiciorum integram sustineat ex lege sententiam r), salvo eo quod de resecandorum servorum criminibus praecedentium legum statuta iusserunt.

TIT. LXXVIII. De hereditatum successione.

De hereditatum successione adtentius pertractantes sta-

o) Al. mss. *Wittiscalcum nostrum.* p) Al. *iudici.* q) Al. *quaesitionem.* Al. mss. *inquisitionem.* r) Al. *integra — dispendit.*

tuimus, ut si pater cum filiis sortem suam diviserit, et postea mori filium vivo patre contigerit sine filiis, pater facultatum filii integram usufructuario iure ^{s)} vindicet portionem: quam inter filios et nepotes ita moriens dimittat, ut quanti nepotes ex uno filio fuerint qui patrem non habent, portionem patris sui vindicent, qualem pater eorum habiturus erat. Illam vero partem, quam pater cum filiis dividendam habuisset, superstitibus filiis derelinquat, et nepotes in eam partem non succedant.

Praesens tamen lex ad masculos ^{t)} tantummodo pertinebit.

TIT. LXXIX. De praescriptione temporum.

I. Licet iam pridem a nobis fuerit ordinatum, ut si quis in populo nostro Barbarae nationis personam, ut in re sua consisteret, invitasset, ac si ei terram ad habitandum voluntarius deputasset, eamque per annos quindecim sine tertiis habuisset, in potestate ipsius permaneret: neque exinde quidquam sibi ille qui dederit, sciat esse reddendum. Tamen quod absque ulla permutatione omni tempore generaliter memorata conditio debeat custodiri praesenti placuit lege constitui.

II. Si quis vero terram ab altero violenter dixerit et convicerit fuisse sublatam, priusquam XXX. annorum numerus compleatur, res quam constiterit occupatam, et requiri poterit, et repetentis partibus reformari.

III. Ceterum si impletis XXX. annis terra, a quocunque etiam pervasa fuisse dicatur, non fuerit restituta, nihil sibi reddendum esse cognoscat.

IV. Quapropter omnes comites, quotiens de praefatis causis contentio fuerit generata, secundum ordinem legis istius iudicare curabunt.

V. Et quia omnia ad quietem omnium, pertinentia ex lege convenit providere, omnes omnino causas de quibuscunque rebus, quae intra XXX. annos non fuerint definitae, nullo eas postmodum licebit ordine commoveri. Quia satis unicuique ad requirendam et recipiendum, quod ei debitum fuerit, supra scriptus annorum numerus constat posse sufficere.

TIT. LXXX. De testibus falsa referentibus et calumniatoribus.

I. Necessae est ea quae minus constituta sunt, praec-

^{s)} Al. *voluntate filii integram in usufructu.*
masculum.

^{t)} Al. ms. *'ad*

sentis legis sanctione constitui: quia in diversis causis prae facilitate plurimos referre falsa cognovimus, qui postea ad probandum quae retulerint, dum damnis suis timent, etiam sponte se conflictui exponunt.

II. Iubemus ergo, ut de testibus, qui pro quacunque parte se tulerint, si ad conflictum causae descenderint, et divino iudicio falsus ibidem relator pugnans occubuerit, CCC. solidos mulctae nomine omnes testes partis ipsius, a qua parte testis superatus est, cogantur exsolvere. Nec multorum male referentium crimen credatur potuisse unius exitu expiari *u*). Ut quos non punit necessitas, damna feriant ad vindictam: quo facilius in posterum ne quis audeat propria pravitate mentiri.

III. Etiam qui calumniatori *v*) consilium dederit ad dimicandum *w*), si victus fuerit, simili ut superius statutum est mulcta feriat.

TIT. LXXXI. De interpellationibus apud iudices futuris.

I. Prima constitutione a nobis decretum fuerat, ut iudices ter admoniti causas inter partes cognitae iudicarent. Et quia occupatione et absentia deputatorum iudicum frequenter potuit evenire (expectatio, ideo consensu *x*) omnium tempus credidimus statuendum; ut intra tres menses interpellato iudice causam quamlibet ulterius differre non liceat, nisi ut omnia cognoscat, et dato iudicio universa ita iudicet, ut nihil inter partes dubium reservetur.

II. Quod si ultra tres menses causam cognitam interpellati iudices distulerint iudicare, duodecim solidorum mulctam eos iubemus exsolvere, causa nihilominus legibus iudicanda.

TIT. LXXXII. De fideiussoribus.

I. Si quis fideiussorem de audientia accepit, ipse fideiussor ad se solvendum insistat *y*), ut causa dicatur.

II. Aut si fideiussor mortuus fuerit, heredes mortui iudicem loci interpellant, et eius ordinatione pars adversa alium fideiussorem ipsa conditione cogatur accipere, et ab heredibus fideiussoris mortui nihil quaeratur.

TIT. LXXXIII. De his, qui apud alios res suas agnoscunt.

I. Quicumque res, aut mancipium, aut quodlibet suum

u) Al. mss. mala referentium crimen credatur unus exitus expiase. *v*) Al. mss. calumniatorem. *w*) Al. mss. vindicandum. *x*) Al. expetitionis consensu. *y*) Al. mss. instat.

agnoscit a possidente, aut fideiussorem idoneum accipiat, aut si fideiussorem non z) acceperit, res quas agnoscit praesumendi habeat potestatem.

II. Si vero falsus fuerit in agnoscendo, rem quam male cognovit, et aliud tantum cogatur exsolvere.

III. Si servus male agnovit, pro qualitate rei agnitae fustigetur.

TIT. LXXXIV. De venditione terrarum.

I. Quia cognovimus Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrahere, hoc praesenti lege credidimus statuendum, ut nulli vendere terram suam liceat, nisi illi qui alio loco sortem aut possessiones habet.

II. Hoc etiam interdictum, ut quisque habens alibi terram, vendendi necessitatem habet, in comparando, quam Burgundio venalem habet, nullus extraneus Romano hospiti praeponatur nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare.

III. Observandum tamen, ut de illo ipse hospes suus comparet, quem alibi terram habere constiterit.

TIT. LXXXV. De pupillis.

I. Si mater tutelam a) suscipere voluerit, nulla ei parentela b) praeponatur.

II. Quod si vero mater non fuerit, proximus parens res c) minorum revocare debet ea conditione, ut qualiter sua facultas proficit, sic et res minorum eius utilitate proficiant.

III. Nec ei liceat exinde quidquam evertere, vel alienare.

IV. Si quis vero praesumpserit de rebus, ut dictum est, minorum aliquid distrahere, de sua facultate in simplum reddat.

V. Ita ut si causam pars minoris habuerit, ipsa persona respondeat, quae tutelam suscepit.

TIT. LXXXIV. De mala hereda.

I. Si pater filiis dimittat malam heredam d), si vivus dare voluerit, cui voluerit donet, postea ad filias suas, si ille dederit, nemo requirat.

II. De Wittemon vero si demandaverit pater ut non quaeratur, demandatio eius non valeat, sed sicut lex alia expressit, proximus parens accipiat.

z) Al. fideiussorem petitum non. a) Al. ms. tutillam. b) Al. ms. parentilla. c) Al. mss. proximos parentes ad res. d) Al. ms. si puterfamilias dimittat heredam.

III. Ita ut de eo quod acceperit, tertium solidum in ornamentis puella accipiat.

TIT. LXXXVII De minorum contractibus.

I. Minorum aetati ita credidimus consulendum, ut ante XV. aetatis annos eis nec libertare^e), nec vendere, nec donare liceat.

II. Et si circumventi per infantiam fuerint, nihil valebit.

III. Ita ut quod ante quintum decimum annum gestum fuerit, intra alios XV. annos si voluerint, revocandi habeant potestatem.

IV. Quod si intra expressum tempus non revocaverint, in sua firmitate permaneat.

TIT. LXXXVIII. De libertatibus,

I. Libertatis vero causa quantum possessionis iure maior, tantum debet diligentius observari.

II. Et ideo observandum est, ut manumittere volens, aut per scripturam lege constantem, servum quem libertate donaverit, manumittat: aut si sine scriptura libertatem mancipio suo quicumque donare voluerit, non minus conlata manumissio, quam quinque aut septem ingenuorum hominum testimonio roboretur: neque per scripturam manumittentes minorem numerum convenit adhibere.

TIT. LXXXIX. De reis corripiendis. f)

Gundebaldus Rex Burgundionum omnibus comitibus. Multorum relatione cognovimus caballorum fures, et effractores domuum, tantum se ad hanc insaniam prorupisse, ut non occulte, verum etiam publice crimina et omnia mala committant. Ideoque praeceptionem ad vos dedimus, ut si quos caballorum fures, aut effractores domuum, tam criminosos quam suspectos invenire potueritis, statim capere et ad nos adducere non moretur. Futurum ut is qui capitur, et ante nos adductus fuerit, si se innocentem potuerit adprobare, cum omnibus rebus suis liber abscedat, neque calumniam pro eo quod ligatus aut captus est, movere praesumat. Si vero criminosus inventus fuerit, poenam vel tormenta suscipiat, quae meretur: et res illius ab his qui eum ceperunt, praesumantur. Et non solum in eum tantum pagum, ubi consistit, liceat persequi criminosum: sed sicut utilitas aut fides uniuscuiusque habuerit, etiam per alia loca ad nos pertinentia non dubitent

^e) Al. mss. *libertum*. f) Hic titulus in duobus Codd. omnino decrat.

huiusmodi personas capere, et iudicibus praesentare, ut praefata scelera non liceat esse diutius impunita. Hanc praecipionem nostram in omnium notitiam ponere procuratis g).

ADDITAMENTUM PRIMUM.

TIT. I. De clausis itineribus vel aliis.

I. Observandum viam publicam, vel inter agros communiter divisam nec possideri, nec intercludi, nec exartari h) posse. Quod si factum fuerit, auctorem facti ad eius munitiones soli i) compelli, et ad munitionem viarum pro modo patrimonii in nullo penitus excusari.

II. Hoc etiam de pontium reparatione servandum.

III. Aquae cursum et adquiri et amitti biennio constat.

IV. Viam in actum, hoc est, ubi carpenta vel carra k) ducuntur, similiter biennio amitti, et adquiri posse.

V. Agri quoque communis l) nullis terminis limitati exaequationem inter consortes nullo tempore denegandam.

VI. Sylvarum, montium, et pasuorum unicuique pro rata suppetit esse communionem.

VII. De servitute luminis vel aëris similiter constitutum, ut inter privatorum fabricas, decem pedes, inter publicas, quindecim dimittantur, secundum legem Theodosii.

TIT. II. De animalibus damnum inferentibus.

I. Proinde iubemus, ut quolibet tempore minora animalia, id est, capra, vervex, aut porci in vineam inventa fuerint, unum de ipsis quotiens inventa fuerint, iubemus occidi, a vineae domino praesumendum.

II. Vacca vero post tertiam conventionem si in vinea inventa fuerit, occidatur a vineae domino similiter praesumenda.

III. De bobus vero, et caballis, asinis aut equis animalibus iubemus, ut dominus aut custos vineae * inventa supradicta animalia singulos tremisses inferat cuius sunt, ei a quo tenentur.

TIT. III. De iudiciis.

I. Si quis iudicum deputatorum a nobis iudicium

g) Un. Cod. *Explicit lex Gundobaldi inter Burgundiones et Romanos.* h) Al. *intercludere nec exartare.* i) Al. mss. *munitionis solum.* k) Al. mss. *carrada.* l) Al. mss. *communes.*

contempserit, VI. solidos iudicibus inferat: et mulctae nomine solidos XII. causam specialiter perditurus.

II. Si vero iudices a nobis deputati iniuste iudicaverint, sciant se ter duodenos sol. mulctae nomine nobis esse inlaturos sine dubio.

TIT. IV. De ingenuis, qui cum servo furtum faciunt.

I. Si quis ingenuus cum servo furtum fecerit, iubemus ut secundum pretium a nobis constitutum aut vervetem, aut capram, aut porcum, aut apem, quam involaverit, in triplum solvat.

II. Servus vero CCC. fustium ictus accipiat, et a domino servi ipsius nihil quaeratur.

TIT. V. De his, qui mulieribus corruptis crines in curte sua capulaverint.

I. Quicumque ingenuus mulieri ingenuae crines in curte sua praesumpserit capulare, iubemus ut XXX. solidos mulieri ipsi solvat: et mulctae nomine solidos XII.

II. Certe si ad battalia mulier foras curte sua exierit, et aut vulnera acceperit, aut ei crinis incisus fuerit, imputet sibi, quia foras domum suam egressa est: et ab eo qui eam percussit, aut crinem incidit, nihil quaeratur.

III. Certe si ancillae in curte sua hoc fecerit, ex eo III. solidos ancillae ipse solvat: et mulctae nomine solidos II.

IV. Si servus vero mulieri ingenuae hoc praesumpserit facere, tradatur ad mortem et a domino servi nihil quaeratur.

V. Quod si dominus servi voluerit eum de morte redimere, decem solidis iubemus servum ipsum redimere.

VI. Iubemus etiam, ut postquam a iudice servus ipse domino traditus fuerit, centum fustium ictus accipiat, ut postea alteri iniuriam non faciat, nec domino suo damnum inferat.

TIT. VI. De brachiis aut tibiis, quae ab altero franguntur.

Quicumque de lapide, aut fuste, vel secure inversa cuicumque brachium aut tibiam fregerit, iubemus ut ei XV. solidos solvat: et mulctae nomine solidos VI.

TIT. VII. De navigiis.

I. Quicumque navis caupulum involare praesumpserit, inferat ei cuius navis est, solidos VII. et mulctae nomine

solidos IV. Pro caupulo vero solidos IV. et mulctae nomine solidos II.

II. Si servus hoc fecerit, pro nave ducentos fustium ictus accipiat: pro caupulo vero, centum fustium ictus accipiat, et domino servi nihil quaeratur.

TIT. VIII. De viatoribus.

Quicumque mancipium, caballum, bovem, vaccam, vervecem, porcum, apem, capram perdiderit, donet regio pro mancipio, solidos quinque: pro equa, solidos duos: pro caballo, solidos tres: pro bove optimo, solidos duos: pro vacca, solidum unum: pro capra, tremissem.

TIT. IX. De fideiussoribus.

Quicumque tam Burgundio quam Romanus fideiussorem acceperit, et pro fideiussione, aut quolibet debito res uxoris pignoratae sunt, apud fideiussorem suum se absolvat, et res uxoris quae pignoratae sunt, restituat.

TIT. X. De canibus veltrais, aut segutiis aut petrunculis.

Si quis canem veltraum, aut segutium, vel petrunculum praesumpserit involare, iubemus ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur: aut quinque solidos illi cuius canem involavit, cogatur exsolvere: et mulctae nomine solidos duos.

TIT. XI. De acceptoribus.

Si quis acceptorem alienum involare praesumpserit, aut sex uncias carnis acceptor ipse super testones comedit, aut certe si noluerit, sex solidos illi, cuius acceptor est, cogatur exsolvere: mulctae autem nomine solidos duos.

TIT. XII. De venditionibus, quae sine testibus scribuntur.

I. Si quis mancipium, aut agrum, aut vineam, aut aream, vel domum factam in quocunque loco comparaverit, iubemus ut si non fuerit firmata, aut subscripta, pretium perdat.

II. Certe si a loci illius consistentibus scriptura ipsa signata non fuerit, aut septem aut quinque testibus.

III. Certe si quinque testes ad praesens inventi non fuerint, tres idoneos testes loci illius consistentes, quorum fama nunquam maculata est, praecipimus subscribendos.

IV. Certe si non, invalidam scripturam ipsam iubemus esse.

TIT. XIII. De mulieribus, quae se voluntate sua ad maritos tradunt.

Quaecunque mulier Burgundia vel Romana voluntate sua ad maritum ambulaverit, iubemus ut maritus ipse (de) facultate ipsius mulieris, sicut in eam habet potestatem, ita et de rebus suis habeat.

TIT. XIV. De Wittemon.

I. Quicumque Burgundio optimatis aut mediocris sine ordinatione patris cum alicuius filia se copulaverit, iubemus ut tripla solutione optimatis ille qui fuerit, patri ipsi cuius filiam copulavit, et ei ante scire non fecit, nec consilium petiit, centum quinquaginta solidos cogatur exsolvere: et mulctae nomine solidos XXXVI.

II. Leudis vero si hoc praesumpserit facere, similiter in tripla solutione, hoc est, solidos XLV. solvat: et mulctae nomine solidos XII.

TIT. XV. De Iudaeis, qui in Christianum manum praesumpserint mittere.

I. Quicumque Iudaeus in Christianum manum praesumpserit mittere, pugno aut calce, fuste aut flagello, aut saxo, aut per capillos prenderit, manus incisione damnetur.

II. Quod si voluerit manum suam redimere, LXXV. solidis iubemus redimere: et mulctae nomine sol. XII.

III. Praeterea iubemus, si in sacerdotem manum praesumpserit mittere, tradatur ad mortem: et facultas ipsius fisco nostro tradatur.

TIT. XVI. De vineis.

I. Quicumque in vineam alienam intrare praesumpserit de die furti caussa, inferat illi, cuius vinea est, solidos III. et mulctae nomine solidos III.

II. Certe si de nocte hoc praesumpserit facere, et percussus fuerit, ita ut moriatur, cuius vinea est nullam calumniam patiat.

III. Nam si servus hoc fecerit, aut in die furtim intraverit trecentos fustium ictus accipiat.

IV. Quod si de nocte intraverit, sicut superius diximus, occidatur.

V. Quod si dominus eius voluerit eum redimere, habeat liberam potestatem; ita postquam eum redemerit, CL.

fastidium ictus accipiat, ita ut nec ille nec aliorum servus hoc facere delectet.

VI. Praeterea si ingenuus non visus fuerit, et postea aut per vim aut per scrutinium inventum fuerit, iubemus ut ad redimendum se XII. solidos illi, cuius vinea est, cogatur exsolvere, et mulctae nomine solidos VI.

TIT. XVII. De asinis.

Quicumque asinum alienum extra domini voluntatem praesumpserit aut per unum diem aut duos in ambascia sua, iubemus ut ipsum et alium talem ei, cuius asinus est, consignet. *Sub titulo CV. invenimus Constantini.*

TIT. XVIII. Si quis boves alicuius pignoraverit.

I. Quod quicumque boves pignorare praesumpserit, capitale puniatur.

II. Nobis vero cum optimatibus nostris hoc convenit, ut quicumque alia pecora habuerit, aut mancipia, aut caballos, et boves praesumpserit pignorare, inferat illi, cuius boves pignorat, sol. XII. Et si duo paria pignoraverit, solidos XXIV. et mulctae nomine solidos XII. ea tamen ratione, ut boves ipsos in loco reformet.

TIT. XIX. De liberali caussa, vel de operis libertorum.

I. Si quis intra annos XXX. sub ingenuitatis spatio vagantem in servitute vocare voluerit, non aliter quam apud iudices statutum eum pulset.

II. Ille vero pulsatum debere indicia.

III. Et si voluntarius adsertor sit, aut defensorem ingenuitatis invenire non potuerit, ad iudices fide integra et moribus idoneos deportetur.

IV. His vero, qui de servitute in libertatem aut ingenuitatem reclamare tentaverint, ista beneficia denegantur: sed victi in foro statuuntur, et qui eos defendere voluerint, habeant liberam potestatem.

V. Quod si nec defensorem invenire potuerint, in servitute a domino retrahantur.

TIT. XX. De vineis hoc observandum.

I. Multorum Burgundionum et Romanorum quaerimonia ad nos processit, quod vineae eorum ab animalibus, porcis, vel reliquis vastarentur. Cum optimatibus nostris de re impensius pertractantes iustum esse perspeximus, et ita nobis visum est, a quocumque animalia in vinea inventa fue-

rint, de grege porcorum unum habeat occidendi liberam potestatem, et suis usibus vindicandum.

II. Quod si facilius ad utilitatem et quietem omnium debeat pertinere, de animalibus vel reliquis pecoribus, praeter boves et caballos, sicut de porcis, simili conditione teneatur.

ADDITAMENTUM SECUNDUM.

Quaecunque in regno nostro huiusmodi caussae oriuntur, unde adhuc legibus non fuerit institutum, quod observare debet, habito nunc cum optimatibus nostris tractatu praesenti conditione decrevimus in populo nostro custodiri.

I. Si quis ingenuus in captivitatem ductus est, et mancipia intra regionem nostram reliquit, quicunque mancipium propinquitate ad se revocavit, aut praesumpsit, aut forsitan per nostram praeceptionem petiit, si captivus ille ad propria rediret, mancipia sua absque praeiudicio partis recipiat.

II. Quicumque servum suum aut ancillam de regione nostra in sortem alienam vendiderit, et mancipium venditum ad propria redierit, ut libertus sit ordinamus: ea tamen ratione, ut non alterius patrocinium, nisi domini illius, qui eum vendiderit, habiturum se esse cognoscat.

III. Quicumque ingenuus de Gothia captivus a Francis in regionem nostram venerit, et ibidem habitare voluerit, ei licentia non negetur.

IV. De his vero, quae tempore excidii ad fidem inimicorum amissis mancipiis, cum una tantum ingenua persona, ac loco uxoris sibi liberavit, mercedes requiri specialius ordinavimus, ut nihil penitus ad mulierem illam de tali caussa quaeratur.

V. Quaecunque persona de alia regione in nostram venerit, et ibi voluerit habitare, aut cum quo esse voluerit, habeat licentiam: et nullus eam ad servitium, aut per se adiacere praesumat, aut à nobis petere conetur.

VI. De monetis solidorum praecipimus custodire, ut omne aurum quodcumque pensaverit accipiatur, praeter quatuor tantum monetas Valentiani, Genavensis, et Gothium, qui a tempore Alarici regis adaerati sunt, et Ardaricanos. Quod si quisquam praeter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat non accipit pretio perdat.

VII. Si quis fideiussorem acceperit, et ante eum pignora praesumpserit, quam auctorem suum, cum quo causam

sam habet, praesentibus testibus admonuerit, pignora, quae tollere praesumpserit, in duplo restituat.

VIII. Quicumque mancipium alienum de Francis comparaverit, testibus idoneis haec adprobet, quantum et quale pretium dederit, et hoc testes illi iurati dicant: Nobis praesentibus pretium dare vidimus: sed nec ille, qui mancipium comparavit, ullam fraudem aut concludium cum inimicis fecit. Quod si testes idonei taliter sacramenta dederint, quantum pretium dedit, tantum hic recipiat: nec pastum requirat, et mancipium, cuius fuerat, sine mora reddatur.

IX. Sed si de re de heredibus singulis statuta, quicumque contra hanc diffinitionem venire tentaverit, pro singulis causis duodenos solidos mulctae nomine se noverit implere.

X. Illud specialiter praecipientes, ut omnes comites tam Burgundionum quam Romanorum, in omnibus iudiciis iustitiam teneant: in hos, qui violentiam fortasse, superventum vel quodlibet crimen admiserint, ita fortiter stringant, et vindicent, quod nullus intra regnum nostrum praesumat admittere. Omnes omnino causas ex legibus iudicent, ut iustitiae ordo teneatur, sicut lex parentum nostrorum continet. Nam fieri manifeste cognovimus de diversis sceleribus compositiones inter parentes nostros tacite: et ut causae legibus non iudicantur, ita populi violentias aut similia praesumunt admittere. Si quis compositiones ita facere praesumpserit, et lege expressa indicare distulerit, multam se noverit inlaturum.

XI. De Romanis vero hoc ordinavimus, ut non amplius a Burgundionibus, qui infra venerunt, requiratur, quam ad praesens necessitas fuerit, medietas terrae. Alia vero medietas cum integritate mancipiorum a Romanis teneatur: nec exinde ullam violentiam patiantur.

XII. Praeterea ecclesiae aut sacerdotes in nullo penitus contemnantur.

XIII. Quicumque aliquem locum munificentiae petere voluerit, cum literis comitis sui veniat, et consilarii aut maiores domus qui praesentes fuerint, ipsas literas comitis ipsius accipiant: et suas literas ex nostra ordinatione ad illos iudices faciant, cuius territorio res illa tenetur: et hoc eis concedant, ut diligenter requirant, si sine peccato dari potest.